image
not
available

152 T30

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

900000110131

Digitized by Google

PAULI VOET,

Juris in Academ. Ultraject. Anteceſſo-
ris, & Vianenſis Cameræ Senatoris.

DE
STATUTIS,

eorumque

ONCURSU,

IBER SINGULARIS.



AMSTELODAMI,

Ex Officinâ JOHANNIS à WAESBERGE,

Anno cIↃ IↃ c LXI.

Digitized by Google

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

POſtquam Pandectarum juris profeſſio, ab Ampliſſ. Senatu Trajectino mihi fuit demandata; id negotii datum mihi credidi, ut non tantum ore, ſed & calamo ſingulis, & univerſis prodeſſem. Utque conſtaret magis, quam non mihi foret otium negotioſum, de tali juris materia cogitare cœpi, quę & ſapientioribus non ingrata, & in foro non minus utilis eſſet futura. Ubi, ſi quę ab aliis prętermiſſa ſupplerem, confuſe dicta in ordinem digererem, iiſque à me reperta noviter adjicerem, non dubitabam, quin aliquid mea Profeſſione dignum, perfeciſſem. Commodum autem ſe mihi obtulit, *Statutorum* materia confuſa, & diffuſa ſatis; quę ut multorum ingenia virorum antehac torſit, ita hodierno tempore non minus, ea contorſit. In quà ipſa, fas ſit dicere, qui in ſupremis poſiti ſubſelliis, nonnunquam offendunt: etiam eas reperiunt difficultates, quas non ſine novi legiſlatoris auctoritate facile ſuperarint. Neque e-

Digitized by Google

nim hic quicquam è trivio deſumptum eſt, aut à vulgari ratione diſputandi; verum id ipſum, quod ex abditis juris regulis quę in rebus agendis obtinent, petitum eſt penetralibus. Et licet bene multi, ſparſim nonnulla huc facientia, ſuis ſcriptis inſeruerint, quę equidem, vidi, & legi, nec contempſi; nulli tamen, quod ſciam, univerſam illam de *Jure ſtatutario* materiam, (minime illam ipſam partem, de quâ maxime laborandum erat), aut pertractarunt, aut ordine ſunt complexi. Multo minus regulas exhibuerunt, quibus veluti theſibus pręmiſſis, multis hypotheſibus, jure conſuetudinario, atque ſtatutario firmatis, ſua conſtaret ratio. Quod an meo libello confecero, non equidem velim affirmare; ut qui non ignorem alia multa hactenus à me traditis, ſuperaddi poſſe. Sperare tamen auſim, me viris ſolidâ juris civilis ſcientiâ imbutis, inque praxi hodierna ſatis exercitatis, viam monſtraſſe, quam forte planam ſuâ induſtriâ planiſſimam, ac tutiſſimam ſunt reddituri. Huic meo inſtituto ſi faveris lector judicioſe, me forte ad plura & majora proferenda in publicum inſtigabis.

D E

Digitized by Google

Clariſsimo, Conſultiſſimo
VIRO,

PAULO VOET,

ris in illuſtri Academiâ Ul-
ajectinâ Profeſſori ordinario,
& Cameræ Vianenſis
Senatori,

Cùm eruditè

STATUTORUM

Jura illuſtraſſet.

SCribite vos, alii, veterum dictamina legum,
Et toties ſcriptum panditè juris opus;
Quæ Paulus *reſponſa dabat, quæ Scævola,* Celſus,
Ac Labeo, *Latii dogmata mille fori.*
Si placeat Romana Themis, *placet altera* Belgis,
Nec proprium Romæ *condere jura fuit.*
Sunt non pauca, novis quæ ſanxit ſerior ætas
Legibus, aut ratio congrua moſve probat.

Sceptra tenet, juſtique modos præſcribit ubivis
Libera Majeſtas civibus ipſa ſuis.
Quod licet hîc, alibi licitum lex lata negabit;
Quodque meum eſt, alibi non ſinet eſſe meum.
Migramus; ſedeſque recèns mutata prioris
Jus negat, & lites parturit ipſe locus.
Quæ mala dum paſſim rixarum pullulat hydra,
Magne Vir, has calamo tu, velut enſe, ſecas.
Juraque qui penetras, jam ſic noſtratia firmas,
Errorum ut reſeces hîc ſimul omne caput.
Grande tibi ſtatuet *plaudens Themis ipſa trophæum,*
Dum tua ſtant ſtabili, PAULE, Statuta Pede.

L. vande POLL.
J. Ctus.

DE JURE & CONCURSU STATUTORUM.

SECT. I. CAP. I.

1. *Præcognitione, etiam in jure, opus eſſe.*
2. *Quid ſit jus in genere, definitur.*
3. *Juris prima diviſio proponitur.*
4. *Jus Dei quid ſit?*
5. *Quid jus creaturarum?*
6. *Quid jus humanum?*
7. *Quotuplex jus humanum?*
8. *Quo referendum jus ſacrum?*
9. *Publicum unde collectum?*
10. *Jus naturale Dei & hominum ſunt diſtincta.*
11. *Explicatur jus naturale hominum.*
12. *Jus naturale hominum immutabile.*
13. *Juri naturali matrimonium adſcribitur.*
14. *Liberorum itidem procreatio, amor & educatio.*
15. *Sui defenſio, & injuriæ propulſatio.*

16. *Non nuda deſenſio bonorum.*

17. *Religio juri naturæ adſcribitur.*

18. *Amor itidem patriæ atque parentum.*

19. *Ut tamen amor patriæ ſit præferendus amori patris.*

20. *An libertas?*

1. IUris portionem implicatam magis, magiſque receptam moribus, quam legibus Romanis, explicaturus; quod in ejus naturâ, & affectionibus elucidandis laborarint, atque etiamnum laborent excellentiſſima noſtri ſeculi ingenia; quo nomine ipſa à multis neglecta jacet, à pleriſque non intellecta ſatis, à paucis probe cognita: viſum mihi, vice prologi, de Jure in univerſum, ejuſq; generali diviſione atque partibus agere; in quantum nihil eorum non ſcitu neceſſarium eſt in illâ ipſâ materiâ, quam pertractandam aſſumpſi. Si enim in foro cauſas dicentibus, nefas eſſe videtur, nullâ factâ præfatione, rem judici exponere, teſte Cajo, *in l. 1. D. de Orig. jur.* quanto magis, rei cujuſdam promittenti interpretationem, inconveniens erit, illotis quaſi manibus protinus eam adhibere. Ut in omni ſpeciei tractatione ad Ulpiani imitationem congruum atque decens ſit, in antecceſſum e

jusdem

juſdem generis exhibere cognitionem *l.* 1. *D. de Rebus credit.* Quæ lectorem ad materiam propoſitam, quaſi manuducat; cumque ibi pervenerit, evidentiorem præbeat intellectum. *d. l.* 1. *D. de Orig. Jur.*

2. Jus in propriâ & propiore ſignificatione, pluribus omiſſis, de quibus JCti. *in l. pen. & ult. D. de Juſt. & Jur. Hilliger. ad Donell.* 1. *comm.* 3. *Althuſ. prolixe in Dicajolog. l.* 1. *c.* 13. *& ſeqq.* mihi dicetur *regula liciti & honeſti, adeoque ſi manifeſtata, directio & norma agendorum.* Id quod, meo judicio, juris ſingulis partibus, citra ullam difficultatem poterit applicari. Quod tamen de receptis dd. finitionibus vix auſim affirmare; non omnibus ſaltem juris ſpeciebus, quæ generali juris nomine continentur. Clarum id erit ex ſequentibus, in quibus neglectâ communi opinione ſequar meam; quâ poſitâ & elucidatâ, illa ſuâ ſponte ruet.

3. Non enim cum Ameſio Theologo de *Conſcient. caſubus libr.* 5. congruenter Scholaſticorum pariter atque Juriſconſultorum placitis *Donell.* 1. *comm* 7. *Hillig. ibid. &* 2. *Comm.* 1. jus partiar in divinum & humanum. Quaſi illud Deum auctorem; hoc auctorem hominem laudet; nec jus naturale cum divino confundam, id quod fecit *Fortatul. dial.* 37. Verum diſtinctius hic meum promam ſenſum, ubi forte cæteri meram tradidere confuſionem.

 4. Gene-

Digitized by Google

4. Generaliſſima hæc potius erit diviſio, quod aliud ſit jus Dei, aliud jus creaturarum. Illud eſt, ſecundum quod Deus ſemetipſum obligat, vel quaſi, in ordine ad creaturarum, vel etiàm ſui ipſius directionem. Eſtque vel jus Dei naturale, vel poſitivum. Illud, quod citra divinæ naturæ deſtructionem, id eſt, abnegationem, aliter atque aliter ſeſe habere non poteſt. Sic ut illud ipſum Deus ne quidem antecedenter ad ſuã ipſius voluntatem immutare valeat, aut aliter velle, quã hactenus voluit. Cujus juris expreſſio eluceſcit in Primo decalogi præcepto: *Non habebis Deos alienos in conſpectu meo.* Ejus quippe contrarium, in præjudicium ſuæ naturæ undiquaque perfectiſſimæ ſummæ & excellentiſſimæ, quæ parem non patitur, ne ſumma eſſe deſinat, nec poteſt velle Deus, nec vult poſſe Ne ſi illud obtineat, voluntas dicatur ineſſicax, & imperfecta. Ne ſi hoc locum reperiat, divina potentia, in ſui detrimentum, & interitum ſuæ ὑπεροχῆς laboraret in vanum.

Hoc, puta jus Dei poſitivum, conſequenter ad divinam voluntatem tale eſt, ut ejus contrarium citra perfectionis ſuæ naturæ deſtructionem, vel ullum ejuſdem præjudicium, poſſit velle & velit poſſe; ſcilic. in ſigno rationis, uti loquuntur ſcholaſtici, antecedenter ad decretum. Cujus exemplum ſuggerit ſecundum in primâ tabulâ decalogi præceptum; quod ut modum continet rite

Deum

Digitized by Google

Deum colendi; ita etiam alium illi diſſimilem, ſi ſic Deo viſum fuiſſet, præſcribere potuiſſet. Alterum ſuppeditat, quartum ejuſdem tabulæ præceptum, (ut alia ſecundæ tabulæ relinquam) quo Deus ſeptimum diem ſui ſanctificationi nobis quidem immutabili lege, non tamen ſibi, præſcripſit. Ut vel nonum vel decimum quemqne diem, ſiquidem id ei placuiſſet, ſuo cultui deſignare, potuiſſet.

5. Jus ſequitur creaturarum, ſcil. quando creatura, propriè, ſenſu rationis prædita, ut excludantur animantia bruta, ad aliam ſic ordinatur creaturam, ſeu refertur, ut eam vel obliget, vel ab eâ viciſſim obligetur, ad hoc vel illud agendum, vel, non agendum. Eſtque vel Angelicum, vel Humanum. Illius juris explicatio nihil pertinet ad juriſconſultum, multo minus quicquam facit ad farinam, uti loquuntur. Neque enim una ſocietas eſt Angelorum & hominum; ut hominibus cum iis nullum ſit commercium. Præterquam, quod ea quæ jure noſtro traduntur, vel res, vel perſonas, id eſt homines, vel actiones ſpectent. Aſt cum res ipſæ hominum gratia ſint productæ; & actiones propter res & homines, Angelis nihil reliquum erit. §. *fin. Inſtit. Jure natur. Gent. civil.* §. 37. *in fin. Inſtit. Rer. Diviſ. l.* 1, 2 *D. de Stat. Perſon.*

6. Agendum itaque de jure humano, quod inter hominem & hominem; ſibi locum

cum vindicat; ſive hominem auctorem agnoſcat, ſive non, parum intereſt. Neque enim à cauſâ juris conſtitutivâ hæc mihi deſumpta eſt diviſio.

Unde, ſi verum dicere liceat, inſpectâ juris origine, omne jus, divinum appellabitur, quod Deum ſpectet auctorem. Nihil quippe à legitimâ humanâ poteſtate rectè conditum, aut conſtitutum cenſeri poterit, quod non congruenter rectæ rationi, naturæ legi, quæ divinæ legis indicium, moralis legis imago, ſit conſtitutum.

Quinimo cum omnis origo juſti & æqui ſit à fonte primævo omnis juſtitiæ, Deo opt. Max. ut qui eſt ipſiſſima juſtitia; dicendum erit, nullum jus humanum, in rei veritate jus appellari, niſi pro principio, theſi, & fundamento naturalem ſervet honeſtatem, quæ Deum auctorem habet. Ut ſi illum verum ortum deſerat, & in quantum deſerit, à ſuo principio deviare, adeoque degenerare ſit dicendum.

7. Jus humanum, prout hoc ipſum à juriſconſultis explicari ſolet, aliud dicitur publicum, aliud Privatum. §. *fin. Inſtit. de Juſt. & Jur. l.* 1. *D. eod.* Illud definitur, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat. Id eſt, uti legit Rævardus, quod ad *Reipublicæ* per ſe & primario, ſpectat utilitatem. *Rævard.* 5. *varior.* 12. Nam per conſequentiam nonnunquam, ſi non plerumque, etiam civium ſingulorum

gulorum reſpicit commoditatem. Cum ſi Reipublicæ bene ſit, & ſingulis ſoleat eſſe benè: adeoque corpore rectè conſtituto, ſingulis partibus in ordine ad corpus, probe ſit proſpectum.

8. Huic juri publico annumerandum eſt jus Sacrum, (de quo alibi tract. pecul.) quod in 12. Tabulis juris peculiarem ſpeciem conſtituit. Legibus tamen Pandectarum, juris publici portionem facit. Id quod in ſacris, in Sacerdotibus, in Magiſtratibus conſiſtere dicitur. *l.* 1. §. 2. *D. de Juſtit. & Jur.* Contra tamen, quam voluit Imperator, qui divina atque publica, ſeparata jura voluit; uti ſacerdotium, & imperium, jure merito, diſcriminavit. *l.* 23. *in init. Cod. Sacroſ. Eccleſ. Nov.* 6. *in init.*

Jus privatum eſt, quod directe & primario, ſingulorum ſpectat commoda; univerſorum tamen per conſequentiam, in quantum ſi ſingulis membris ſuus conſtet vigor, univerſo corpori etiam ſuum adeſt robur, atque firmamentum.

9 Utrumque hoc jus, tam publicum, quam privatum; collectum eſt ex præceptis naturalibus, gentium & civilibus. *Arg. l.* 2. *D. de de Juſt. & Jur. l. ult. D. de legat.* §. 2. *Inſtit. de jure nat. gent. civil. l.* 8. *D. de Juſt. & jure.* Neque enim, quod in univerſum à jure naturali & gentium recedit, juris nomen meretur *l.* 6. *D. Juſt. & Jur.*

Digitized by Google

Ut nec publicum jus (de quo potiſſimum difficultas) ab eo declinare ſit dicendum: niſi in licentiã, & Tyrannidem degeneret. Maximè cum ejuſdem juris veſtigia, vel ſimulacra, etiàm in ipſis animantibus brutis appareant: Certum indicium ſimiliter atque privatum, Publicum, juri naturæ, etiam naturali inſtinctui, abuſive jus appellato, ſuum ortum debere. Quid quod apes regem ducem ſequantur; grues aciem volando inſtruant, & ſi pericula metuant, cuſtodem exponant, pro dormientium excubantem, ſecuritate; formicæ ordinem, & œconomiam ſervent, & quæ plura alia, naturalium rerum ſcriptores exempla, ſuppeditant. *Duaren. D. Juſt. & Jure c. 5. Giffan. diſp. 1. Inſtit. n. 20. 21. ad Theſ. 8. Beſold. ad l. 1. tit. 1. libr. 1. D. num. 19. & in delib. juris ad Pand. n. 9. p. 21. Wurmſer. Nucl. jur. contr. libr. 1. tit. 1. controv. 9. diff. Cujac. in not. Weſemb. Parat, D. de Juſt. & Jur. Lyclam. pro parte. 7. Membr. eclog. 41. §. 1. Bacchov. ad §. 4 Inſtit. de Juſt. & Jur. Bocer. Claſſ. 1. diſp. 2. n. 5.*

10. Hinc ſecunda juris eluceſcit diviſio, quæ maxime celebrata; quod aliud ſit naturale, aliud gentium, aliud civile. Ubi in anteceſſum obſervandum, jus naturale Dei, de quo fuit actum, à jure naturali hominum eſſe diſtinctum. Non enim omne jus divinum eſt jus naturale Dei, eo quod etiam aliquod jus divinum ſit poſitivum. Non itidem omne jus naturale,

turale,

turale, ſtatim naturale divinum appellabitur, cum quoddam jus naturale etiam dicatur naturale hominum. Jus quippe Dei naturale, eſt prorſus immutabile; neque ullam patitur relaxationem aut diſpenſationem. Eoque ſpectant illa divina effata: Deus ſuam gloriam alteri dare non poteſt. Non poteſt creaturam rationalem à dependentiâ phyſicâ, vel morali, abſolvere &c.

Jus naturale hominum dicetur, quod in jure noſtro ſic appellatur ſimpliciter, adeoque juris naturalis ſine additamento venit nomine.

Eſtque etiam, ratione nonnullorum præceptorum, juris divini poſitivi, & quidem liberrimi; ſic ut à Deo, qui ſupra talem naturæ legem, ejus oppoſitum mandari poſſit. Eo refero, legem ceremonialem atque forenſem Moſaicam, qua talem, magnamque legis moralis portionem. Licet autem poſtremæ legis, nullum præceptum ſit juris humani poſitivi, in quantum nemo mortalium, quamvis ſupremâ in terris gaudeat poteſtate ejus contrarium mandare valet; eſt tamen aliqua ejus portio juris divini poſitivi. Quâ ratione in præceptis ſecundæ tabulæ bene multa occurrunt, ſecundum nos immutabilia, non tamen inſpectâ divinâ poteſtate. Sic, quæ de Nuptiis, de monogamiâ, de gradibus nuptiarum prohibitis, de dominiorum diſtinctionibus, de homicidio, ſunt juris naturalis

Digitized by Google

hominum immutabilis, non ita à Deo ſunt conſtituta pro juris ipſius neceſſitate, quin pro voluntatis beneplacito liberrimo mutationi ſubjacere poſſent. Accedit & aliud diſcrimen, quod jus naturale hominum, eoſdem ſemper & ubique, & in omni ſtatu obliget, in quantum lex eſt & quidem manifeſtata, & omnium cordibus inſcripta, quo reddantur inexcuſabiles, ex illo Paulino: ad Rom. c. 1. v. 19. 20. & c. 2. v. 12. & ſeqq. Non autem omne Jus divinum ſemper & ubique homines obligat, quia non ſemper & ubique manifeſtatum. Ut tum demum ad ſui obedientiam conſtringat homines, cum in leges & præcepta ſeſe diffundit, quæ non dirigunt, niſi humanis actibus ſint applicata; adeoque ſufficienter propoſita, ſic ut ignorantia prætendi nequeat, ab iis, quibus ea præſcribuntur. *d. c. 2. v. 12. Arg. l. 1. §. 4. D. de Orig. Jur l. 9. Cod. de legibus. vid. de hâc materiâ Rever. Parentem meum diſſert. de Jur. & Juſt. Dei. Meam Theologiam Natural. cap. de Juſtit. Divinâ.*

11. Jus autem naturale hominum eſt, quod recta ratio, inter omnes homines æqualiter dictat; ſoliſque hominibus competit, ſi accurate, & proprie loquamur. Unde quæſitum, cur Ulpianus JC. omnia indiſtincte animalia juris naturalis perita cenſeri velit? Reſpondendum eſt, in jure noſtro, non uno modo jus accipi naturale. Quandoque enim pro lege naturæ ſumitur, pro com-

communibus honeſtatis principiis, quæ omnibus innata ſunt hominibus, & quidem ſolis. §. 1. *in fin. inſtit. Si quadrup. Paup. feciſſ. dic.* Quo etiam reſpicit *Apoſt. Paul. Rom* 2. v. 15. *Gentes opus legis ſcriptum in cordibus gerere.* Et alibi Ambroſ. *Lex gemina eſt naturalis & ſcripta, naturalis in corde, ſcripta in tabulis.* Quandoque minus proprie, magis abuſive, pro inſtinctu & inclinatione aliquâ naturali, cujus beneficio, ſecundum legem naturæ, certo quodam reſpectu agere videntur bruta. Senſualem enim aliquem habent diſcurſum, quam æſtimativam Philoſophi appellant: ut ſecundum analogiam brutis jus aliquod naturale tribui poſſet. Quod tamen non legis naturæ, ſed potius *Præcepti* veniet nomine; hoc quippe vocabulum paulo largius accipitur, quam ipſa lex. Præceptum enim apud latinos etiam monitum deſignat, vi obligandi carens. Lex autem vim obligandi continet, à ligando ſic dicta. Per jus autem naturæ, tant in præceptum naturæ, citra vim obligandi, JC. deſignare, partim ex antecedentibus, partim ex conſequentibus colligitur manifeſte. Quod enim in *l.* 1. *D. Juſt. & Jur.* appellatur jus naturæ, antea naturæ vocabatur præceptum. Et quæ exempla juris naturæ in ſequentibus d. l. verbis ſubjecta, non ad leges referenda, ſed ad inſtinctum, impetum & incitamentum naturæ. Neque enim

jus naturale ad maris & fœminæ conjuncti onem, ad liberorum procreationem, aliquem juris obligat neceſſitate, verum monendo incitat & inſtigat. *Init. Inſt. Jur. Nat. Gent. civ. l. 1. D. Juſt. & Jur.* Nec alio ſenſu apud probatos Scriptores Ἤθη ſeu mores, virtutes & vitia, tribui brutis, exemplis pateſcit. Sic *Ariſtot. paſſim in hiſtor. Anim. & Plinius de Apibus l. 11. cap. 5. quod maxime*, inquit, *mirum eſt, & mores habent.* Et Virgil.

—— Totiuſque ex ordine gentis,
Mores & ſtudia & populos & prælia dicam:

Et Horat.

Eſt in juvencis, eſt in equis patrum virtus.

Et *Epiphanius* de brutis loquens: ἔςι δὲ ἐν ἀυτοῖς ἤθη διάφορα τὴν πρόνοιαν τοῦ θεοῦ αἰνιττόμενα. Ut immerito Valla grammaticus, *elegant. 4. cap. 48.* cenſuram ſtrinxerit in Ulpianum, quaſi, brutis eandem illam juris rationem, quæ in homines & pro ut in homines cadit, tributam velit. *Revard. 1. var. cap. 1. Athenæus Caſaubon. cap. 10. lib 1. p. mihi 34. Coraſ. ad l. 1. D. Juſt. & Jur. Bocer. Claſſ. 1. diſp. 2. n. 6. Connan. comm. jur. civil. lib. 1. cap. 6. n. 1. Merend. Contr. jur. lib. 2. cap. 1. n. 13. Henric. Ern. Cathol. jur. cap. 9. in init. diſſ. ex part. Wurmſer. Nucl. jur. contr. lib. 1. tit. 2. Beſold. in delib. jur. & ad tit. D. Juſt. & Jur. n. 20.*

12. Quia vero, uti propoſitum, recta ratio

tio inter homines, jus naturale hominum dictavit; ideo etiam ejus eſt conditionis, ut per homines mutari nequeat. Recta enim ratio in homine nonniſi ſimplex eſt, & uniformis, nec diſpoſitioni alicujus hominis ſubjacet. §. *pen. Inſtit. jur. nat. gent.* §. *ult. Inſt. leg. Agnat. tutel. Arg.* §. 2. *v. Ergo Senatus. Inſtit. Uſufr Merend. jur. contr. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 6. *Beſold. jur delib. ad lib.* 1. *Pand. n.* 7. *Conn. Comment. jur. civil. loc. cit. n.* 5. 6. Negandum tamen non eſt, quin in hypotheſi quandoque variet, quin ejus effectus impediatur, quin naturæ author, jus naturale hominum, immutare & in theſi poſſit. vid *Lyclam. ultim Memb. Ecl.* 31. *Pac. Enant. c.* 1. *q.* 2. *Bronch cent.* 1. *aſſert.* 4. *Grot. Introd. Jurisp. Holl. lib.* 1. *part.* 2. *Bacchov. ad tit. Inſt. jur. nat. Gent. Bocer. ibid.* Rever. Parentem *diſp. de jure & juſtitia Dei. Azor. Inſt. Mor. tom.* 1. *lib.* 6. *q* 2. *Molin. de Juſt. tom.* 1. *diſput.* 4. *tract.* 1.

13. Verum, inquiretur ulterius, quo conſtet, quid ſit immutabile, quænam juri naturæ ſint adſcribenda? An matrimonium? Id affirmandum, per textum expreſſum *in* init. *Inſt. jur. nat. l.* 1. *D. Juſt. & Jur.* Non quidem ut vagum deſignat concubitum, ſed ut conjunctionem cum affectu gratiâ procreandi deſideratam. Neque enim promiſcuam commixtionem ſuadet inſtinctus naturæ, neque dictat recta ratio.

Geneſ. 1. *v.* 22. & 28. *Lactant.* 6. *Divin. Inſtit. Schneidw. init. Inſt. de Nupt. Caraſ. ad l.* 1. *D. Juſt. & Jur. n.* 7. 8. Dill. *Connan. comm. jur. Civil. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 10 *Olemann. Præfat. ad antin. Giffan. Beſoid. n.* 21. *ad l.* 1. *D. Juſt. & Jur. Henric. Ernſt. in Cathol. jur. cap.* 9. *n.* 1.

14. An itidem liberorum procreatio, eorundem amor & educatio? Idem dicendum *Init. Inſtit. Jur. Nat. Gent. civil. l.* 1. *D. Juſt. & Jur.* Naturalis quippe ſtimulus parentes hortatur ad eorum procreationem, & educationem; in tantum, ut ſi liberis alimenta denegent, eos necare videantur; ne dicam in propria ſævire viſcera, præſertim ſi non habeant, unde ſeſe alant. *l. liberorum* §. *ult. D. V. ſignif. l. unic.* §. *taceat. Cod. Rei Uxor. Act. l.* 4. 5. *D. Agnoſc. & alend. lib. l. ult. Cod. Alend. lib.* §. 7. *Inſtit. Noxal. Act. l. iſte. Quod Met. cauſ. Ariſtot.* 1. *Polit. c.* 1. & 1. *Phyſ. c. ult. Xenoph. Inſt. Cyr. lib.* 2. *Coraſ. loc. cit. n.* 9. *Bocer. Claſſ.* 1. *diſp.* 2. *n.* 8.

Quo nomine improbandum eſt jus civile, utpote juri naturæ adverſum, dum inceſtuoſis alimenta non deberi, decernit. *Authent. ex complexu. Cod. inceſt. Nupt.* Neque enim id potuit ſtatuere jus civile, aut debuit. *init. Inſtit. juncto* §. 11. *jur. Nat. Gent. civil. arg.* §. 2. *v. Ergo nec Senatus. Inſt. Uſufr. & l.* 8. *D. reg. jur. l.* 4. *D. Agnoſc. lib.* Ut potius hic laudanda ſit æquitas juris canonici, quod

etiam

Digitized by Google

etiam mores hic ſequuntur,ſecundum quam ex inceſtu prognatos liberos, parentes alere tenentur. *c. cum haberet.* 5. *X. de eo, qui dux. in matr. quam poll.Gail.2.obſ.*88. *Bull. de trib. Gener. jur. Prac. in addit. n.* 9.

Etiam improbandi quarundam fœminarum mores, quæ poſt poſitâ naturæ lege,affectu repudiato,proprios lactare liberos dedecori eſſe cenſent. Parum memores, quod majus ſit partum ſanguine in utero aluiſſe, quam jam natum lacte nutrire. Parum memores, Deum & naturam non fruſtra eas uberibus ornaſſe. Parum memores & lactis alimoniam nonnihil ad ingenii ſimilitudinem conferre. Parum memores,iſthac ratione affectum deminui, & quid non. Id quod ſuadent exempla piarum fœminarum, ſuadent rationes allatæ, ſuadet jus civile. *DD. ad l. pen. Cod. Patr. poteſt. gloſſ. & Gothefr. ibid. Gell. noct. Attic. lib* 12. *c.* 1. *Tiraquell. de Nobilit, c.* 20. *n.* 79. *& ſeq.* ubi etiam diſſidentes allegat. *Berneg. q.* 115. *in Tac. Germ. & Agricol. Bocer. loc. cit. Bull. addit. ad tria jur. Prac. n.* 9.

15. An *ſui defenſio,* & *injuria propulſatio*? *Reſp.* licet non negaverim, eam poſſe juri *Gentium* adſcribi, in quantum apud omnes Gentes ea peræquè obſervatur: §. 2. *Inſt. jur. nat. Gent. & civil.* ratione tamen *originis* rectiùs eam adſcripſeris juri *naturali*, quod nobis eſt quodammodo cum brutis

commune.

commune. Et quia paſſim in Jure *Ratio naturalis* & ipſa *Natura* permittere dicitur, ut quivis adverſus omne periculum ſe tueatur. Et quia omni animantium generi per Naturæ *inſtinctum* atttibutum videtur, ut ſe, vitam, & corpus tueatur. *l.* 4. *in princ. D. ad l. Aquil. l.* 1. §. 27. *D. de vi & vi armat. Init. Inſtit. de Jur. Nat. Gent. & Civil. l* 1. §. 11. *D. Si quadrup. paup. fec. dic. l.* 5. §. 1. *l.* 45. §. 4. *D. Ad leg. Aquil. Propert.* 2. *Eleg.* 5. *Cicer. pro Milone &* 1. *offic. Cujac.* 5. *obſerv. cap.* 18. *Donell.* 1. *comm.* 7. *Bullæus de tribus Gener. jur. Præcept n.* 10. *Wiſſenbach. diſp.* 3. *Pand. n.* 6. Diſſ. *Bartol. ad l.* 3. *D. de juſt. & jur. Connan.* 1. *comm.* 6. *n.* 8. *Johann. Coraſ. in comm. ad d. l.* 3. *n.* 3. 4. 5. *Lyclam. Membr.* 7. *Eclog.* 42. *Pacius Anti nom. cent.* 1. *quæſt.* 1. *Matth. Berlich. part.* 4. *concl. Pract.* 13. *n* 2. *Hænon. diſput.* 1. *Inſtit.* §. 11. Ego ex profeſſo *in tractatu meo de Duellis*.

16. Idemne de *bonorum defenſione* ſtatuendum? *Reſp.* Si ſolam *rerum* defenſionem ſpectemus, non idem dicendum eſſe putarem. Si eam, quæ cum defenſinoe *corporis* eſt conjuncta, id equidem non negarem. Ratio *prioris* eſt, quòd Juriſconſultus in *l.* 3. *D. de Juſt. & Jur.* defenſionem cum propulſatione conjunctam ad tutelam *corporis* permiſſam ſtatuat, ut rectè inferatur, propter ſolam *rerum* defenſionem ad cædem perve-

perveniri non debere *l.* 52. §. 1. *D. Ad l. Aquil.* Accedit, quod inter hominis vitam & bona caduca nulla ſit proportio; cùm *illa* ſemel amiſſa reſarciri nequeat: *hæc* verò poſſint; ut *vita* etiam rebus pretioſiſſimis ſit præferenda. *l.* 21. *in fin. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l.* 44. *in princ. D. de Ædil. Edict.* Ratio *poſterioris* eſt, quòd *furem nocturnum* occidere liceat; quia incertum eſt, an veniat animo furandi, an occidendi? Et *diurnum* non aliter, quàm ſi telo ſe defendat; ut cum *bonorum* defenſione ſemper aliqua *vitæ* tuitio debeat eſſe conjuncta. *l.* 4. *D. Ad leg. Aquil. l.* 45. §. 4. *D. eod. l.* 2. 3. 4. *Cod. l. Cornel. de Sicar. Fachin.* 1. *contr.* 31. *Bocer. de duell c.* 9 *Bachov. in not. ad Parat. Weſ. ad l. Aquil. Bronchorſt.* 4. *Antin.* 82. Diſſ. *Jul. Clar.* §. *Homicidium. n.* 25. *Leſſius Jeſuita, lib.* 2. *de juſt. & jur. c.* 9. *dubit.* 2.

17. Verum cui juri adſcribenda *Religio*? Reſp. illi juri *Naturæ* eam eſſe adſcribendam, quod ratio dictat inter omnes *homines*: licet *modum* colendi Deum præſcribat *ſacra Scriptura.* Omnes enim homines, modò ſint ſanæ mentis, fateri coguntur, *Deum eſſe colendum*; cùm, ſi conſcientiam examinent, dubitare non audeant de Numinis *exiſtentiâ.* Et recta ratio ſuadet id, quod ſummum eſt, ratione ſuæ excellentiæ, omnem honorem mereri. *Arg. l* 2. *D. de juſtitiâ & jur. Paulus ad Rom.* 1. *v.* 19. Ut propterea *Ariſtoteles*

teles (1.*Topic. cap.* 9.) caſtigatione & pœnâ dignos judicaverit eos, qui, *utrum Deus honorandus ſit*, dubitare audent? *Cicer.* 3. *Tuſcul. quæſt. Boët. Conſol. Philoſ. lib.* 5. *proſ.* 6. *Lyclam.* 7 *Membr. Eclog.* 41. *Beſold. ad l.* 2. *de juſtitiâ & jur. Bocer. Claß.* 1. *diſput.* 2. *n.* 12. *tract. de Jur. Univerſ. Wurmſer. Nucl. jur. contr. lib.* 1. *tit.* 2. *contr.* 2. *n.* 8. 9. Reverendus meus *Parens* in tractat. de *Atheiſm.* Ego in *Theologiâ Natur. Reformat.* Diſſ. ex parte *Carteſius, Sociniani*, aliique *Athei* à me dicto tract. refutati.

18. Cui juri adſcribendus *Amor*, qui *Patriæ* debetur & *Parentibus*? *Reſpondeo*, juri *naturali*. Arg. *l.* 3. *D. Juſt. & jur.* Ratio enim *naturalis* ſuadet & *Patriæ*, in quâ vitam primitus accepimus, & *Patri*, à quo ſpiritum hauſimus, poſt Deum in omnibus eſſe parendum. Suadet id ipſum 5. *Decalogi* præceptum, quæ juris eſt *naturalis* expreſſio. Suadent id effectus, quòd originarii plerumque extraneis in obeundis Patriæ muneribus ſint fideliores. *DD. Ad l.* 1. *D. Ad municip.* vid. *l. habebat. De leg.* 3. *l. qui habebat. v. dulciſſimæ patriæ meæ. D. eod. l. moveor. Cod. ſerv. export. & l. fin.* ubi *Bald. Cod. ſi ſerv. export. veniat. Gloſſ in l. veluti. D. juſt. & jur. & in l. fallaciter. Cod. de Abolit.* *Georgius Vivien comm. ad lat. introit. Philippi* 2. *Hiſp. Reg. artic.* 9. *in fin. Beſold. claſſ.* 1. *diſp.* 2. *n.* 12.

19. Ve-

19. Verum, quid dicendum in *concurſu*, an potiùs *parenti*, an *patriæ* ſuccurrendum erit? *Reſp.* Affirm. Poſt. licet ordo in *d. l. 2. D. Juſtitia & jur.* à Juriſconſulto ſit inverſus. Quò enim finis eſt ulterior, eo melior: ut *univerſali*, quale eſt *Patriæ* bonum, cedat *particularis* finis. qualis eſt *Parentis* conſervatio *l.* 1. §. 15. ibidemque varia à Gotefredo in Comm. cit. *D. de ventr. in Poſs mittend. d l. qui habebat. D. de leg.* 3. *l.* 35. *D. Religioſ & ſumpt. fun.* Docuerunt id exempla omnis ætatis, omniumque populorum; quæ ne huc conferam, vel unum, licet ſeverum nimiùm, *Damatriæ Spartanæ* dabo, quæ, cùm accepiſſet filium ignavo erga *Patriam* eſſe animo, eundem domum reverſum occidit, atque ejus ſepulchro hoſce verſus inſcribi curavit:

Hunc timidum mater Damatrion ipſa peremit.
Nec dignum matre, nec Lacedæmonio.

Valer. Maximus, lib. 2. cap. 7. Everhard. in Topicis, loco: ab ordine. Georgius Vivien, comment. ad lat. introit. Philippi 2. *artic.* 13. *litt. a. & d. Keckerm. diſp. pract.* 22. *Problem.* 24. *Beſold. ad l.* 2. *D. de juſt. & jur. n.* 5, & 6. *Wurmſer. Nucl. jur. contr. lib.* 1. *tit.* 2. *q.* 2.

20. Cui denique juri adſcribenda *Libertas*? *Reſpondeo*, licet plerique *libertatem* illi juri *naturali* adſcriptam velint, quod nobis

eſt

eſt cum *brutis* animantibus commune: argum. *l.* 4. *v. quæ res à jure Gentium. D. de Juſtit. & Jur.* & §. 1. *Inſt. de Jur. Perſon.* Dicendum tamen, *Libertatem* non eſſe aut ab inſtinctu *naturali*, aut à *ratione* diſpoſitivè. Eſt enim quædam *facultas naturalis*, quam in tantum non introduxit Ratio, ut potius eam minuat. Vel potiùs legibus congruenter dicatur, nec *Libertatem*, nec *ſervitutem* eſſe juris *naturalis*, indifferenter ſemet ad utrumque oppoſitum habentis; ut uno *communi* nomine omnes appellati ſint homines, nullo poſito diſcrimine, *liberine* eſſent an *ſervi*? Ut differentiæ duæ *Libertatis*, ejuſque oppoſitę *ſervitutis*, juris *Gentium* ſint *diſpoſitivè*. Id quod ſatis colligitur (meo judicio) ex *init. Inſtit. de libert. v. & cum uno communi nomine l.* 4. *v. ſed poſtea quam. D. de juſt. & jur. Zoeſ. D. de juſt. & jur. n.* 51. Diſſ. *Donell.* 1. *comment. cap.* 7. *Beſold. ad l.* 4. *n.* 1. *D. de Juſt. & jur. Bocer. claſſ.* 1. *diſp.* 2. *n.* 8.

CAPUT. II.

1. *Differentia inter jus gentium & naturæ traditur.*
2. *Diviſio juris gentium in primævum & ſecundævum, defenditur.*
3. *Quænam iuri gentium primævo ſint annumeranda?*

4 An

4. *An diſtinctio dominiorum referenda ad ius gentium ſecundarum?*
5. *An regna?*
6. *An bella?*
7. *An captivitates?*
8. *An obligationes & contractus?*
9. *An actiones?*
10. *An Hypotheca, conſtitutum, emphyteuſis? &c.*

1. EXplicui quantum ſufficit, jus *Naturale*, & quæ illi adſcribenda. ordine recenſui. Ad jus *Gentium* propero, quod à jure *naturali* diſtinctum eſſe, (licet quandoque à Juriſc. confundantur *ut in* §. 11. *inſtit. de jure natur. Gent. & civil.*) plus quàm manifeſtum eſt. *l. pen. D. juſt. & jur.* Jus enim *naturale* eſt, quod vel *Natura*, ſi improprie (id eſt, inſtinctus) vel ipſa *Ratio*, ſi proprie, quod eſt *hominum* tantùm, illos ipſos docuit: eſtque jus quoddam *innatum*. Quod ſi ad uſum transferatur, mutat nomen ſuum, & à *Gentibus*. à quibus recipitur, jus *gentium* appellabitur. §. 1. *Inſtit. de jur. nat. Gent. & Civil.* Ut *jus naturale* non ſit jus *conſtitutum*. *Jus gentium*, *jus conſtitutum*. *d.* §. 1. licet non tantùm. Cùm quoddam jus ab aliquo populo, ſeu natione, ſit conſtitutum, quod *civile* appellatur. Ut, quod eſt à *Gentibus* pleriſque & quidem moratioribus, & quidem mo-

tate

rate conſtitutum, etiàm in quantum comprobatum, jus *Gentium* dicatur. Argum. §. *pen. inſtit. Pr æm*, §. 1. 2. *junct*. §. 11. *Inſt. jur. Nat. Gent. Civil. c. jus gentium*. 1. *diſtinct*. Non quod in unum aliquando convenerint Gentes: verùm quòd ſucceſſivè pleriſque tacitè id viſum eſt placere; ut totius orbis fuiſſe decretum exiſtimetur. Diſſentiunt plerique, qui jus naturale *hominum* cum jure *Gentium primævo* confundunt. *Merend. juris controv. lib*. 2. *c*. 3. *in fin. Beſold. del. jur. ex lib*. 1. *Pand. n*. 6. *Bocer. claſſ*. 1. *diſp*. 2. *n*. 10. *Tract. jur. Univerſ. Wurmſer. Nul. jur. contr. lib*. 1. *tit*. 2. *contr*. 1. *in fin*. & 2. *in init*. vide *Grot. de jur. bell. & Pac. lib*. 1. *Cap*. 1. *n*. 10.

2. Jus *Gentium*, à jure *naturali* ſic diſtinctum communiter dividi ſolet in *Primævum* & *Secundævum*. *Illud* appellant, quod *Ratio* (quæ etiam in ſtatu *Integritatis* locum habuiſſet) inter *homines* conſtituit; atque firmum & immutabile permanet. *Hoc* quod *Ratio* quidem *naturalis*, ſed propter depravatam hominum naturam inter *gentes*, conſtituit. Quæritur, Num rectè? Reſp. quod ita. Neque enim hæc *diſtinctio* ſuo caret fundamento. Cùm enim aliquod jus *Gentium* dicatur *immutabile*, aliquod *mutabile*: aliquod cum ipſo *humano* genere ortum ſumpſiſſe: aliquod poſtea demùm, uſu exigente & humanis neceſſitatibus: aliquod eſſe ex jure *naturali*: aliquod

aliquod ei ſuo modo adverſari: hæcque omnia inferant aliquam *oppoſitionem*, quæ diſtinctionis eſt fundamentum: negari non poterit. quin *duplex* jus *gentium* ſit admittendum. Sive, illud appelletur *Primævum* & *ſecundævum*, ſive *Prius* & *poſterius*, ſive *ſuperius* & *inferius* parùm refert. Verba enim non curanda modò in re ſit conſenſus: neque leges verbis, ſed rebus ſunt datæ, *l.* 2. *in fin. Cod. comm. de legat. & fideicomm.* §. 1. 2. 11. *Inſt. Jur. Natur. Gent. & Civil. & l.* 3. 4. 5. *D. eod. Pinell. ad l.* 2. *Cod. de Reſcind. vendit. part.* 1. *n.* 11. *Donell.* 1. *comm. cap.* 7. *Beſold. delib. jur. ex lib.* 1. *Pand. n.* 6. *Idem ad l.* 1. *D. de Juſt. & Jur. Wurmſer. Nucl. jur. Contr. lib.* 1. *tit.* 2. *contr.* 2. *Bocer. claſſ.* 1. *diſp.* 2. *n.* 11. *Bacchov. ad Inſtit. Com. de jur. nat. Gent. Civil. Henric. Ernſt. Helmſt. Cathol. jur. cap.* 10. *n.* 1. Diſt. *Connan. comm. jur. Civil. lib.* 1. *cap.* 5. Diſſ. *Coraſ.* 6. *Miſc. cap fin. Bronchorſt, cent.* 1. *Enant. aſſert.* 3. *Lyclam.* 7. *Membran. Eclog.* 31. *Zoeſ. D. de juſtit. & jur. n.* 33. Qui ibidem *Covarruviam* & *Valaſcum* pro ſe allegat.

3. Verum quænam ad jus *Gentium primævum* erunt referenda? *Reſp.* Eadem illa quæ hactenus juri *naturali* fuerunt annumerata. Qualia ſunt *Matrimonium*, *Liberorum educatio*, *defenſio ſui ipſius*, *Religio*, *Amor patriæ* atque *parentum*. Ut ea omnia utrique

juri

juri (*naturali* ſcilicet, & *gentium*) ſint communia, quæ ſemper firma atque immutabilia permanent. Argum. §. 11. *Inſtit. de jur. natur. Gent. & Civil.* Infrequens enim in jure non eſt, ut una eademque res diverſo jure cenſeatur; adeoque pro variâ conſideratione & juri *naturali* & *gentium primævo* accepta feratur. Argum. *l.* 45 §. 4. *D. Ad l. Aquil. Cujac.* 5. *obſerv. cap.* 18. *Beſold. ad l.* 1. § 21. *D. Juſt. & Jur. ad l.* 2. §. 1. 2. *D. eod. & l.* 3. §. 1. *in med. comm. D. eod. Wurmſer. Nucl. jur. contr. lib.* 1. *tit.* 2. *confr.* 2. *n.* 11. 12. *Bocer. claſſ.* 1. *diſp.* 2. *n.* 13. vid. quæ notavi in *diſp.* 1. *Ad l.* 2. *Cod. l. Cornel. de Sicar. theſ.* 5.

4. Major difficultas eſt circa exempla juris Gentium ſecundævi; quænam ſcilicet illi juri ſint annumeranda? An diſtinctio dominiorũ? Reſpondeo, licet ea non tantum jure humano, ſed & naturali & divino nitatur; quia tamen non directe & immediate ab initio natura rerum præcepit diviſionem, verum tantum ex occaſione humani generis multiplicati, & iniquitatis invaleſcentis, cupiditate hominum inſatiabili viam monſtrante; dicendum erit rerum diviſionem ſeu dominiorum diſtinctionem ex jure gentium ſecundævo originem trahere. §. 3. *Inſt. jur. nat. gent. & civil.* §. 11. *Inſt. Rer. diviſ. l.* 5. *D. eod.* idque ad commodum generis humani. Niſi enim ea obtineret, pacifica & ſuavis rerum admi-

adminiſtratio inter homines non eſſet. Communio quippe mater eſt litium atque diſcordiarum. *Geneſ.* 13. & 30. *l.* 79. §. *dulciſſimis fratribus. D. leg.* 2. *l.* 5. *D. Acquir. Rer. dom.* Communio mater ſocordiæ eſt: cum quod ab omnibus poſſidetur, nemo quaſi poſſideat: quotque omnes curant, nemo curet. *l.* 1. *D. de rebus eorum qui ſub tutel, vel cur. l.* 3. §. 6. *D. Adm. tutel.* Præterquam quod ſuam quis partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ. *l.* 2. *Cod. quando & quibus pars quart. debeatur. lib.* 10. Ne jam dicam, in corruptâ hominum ſocietate, Deum hominibus viam præmonſtraſſe diviſionis, ut ita omnis occaſio diſſenſionis evitaretur. *Geneſ.* 10. *Deuteron.* 32. *Joſuæ* 9. 18. & *Donell.* 1. *comment.* 7. *Beſold. ad l.* 5. *D. Juſt. & jur.* §. 3. *Zoeſ. D. eod. n.* 43. *Ameſ. caſub. conſc. l.* 5. *c.* 41. *n.* 9. *Bocer. claß.* 1 *diſp.* 2. *n.* 12. *diſſ. Harpricht. in Princ. Inſt. de Rer. diviſion. n.* 54. *Goddæus ad l.* 42. *D. de v. ſignif.*

5. An regna ex eodem jure nata? Affirm. Licet enim immediate à naturâ procedat, ut civiles ſint hominum ſocietates, adeoque in ſtatu integritatis ſuavis fuiſſet harmonia ſuperiorum & inferiorum; inque jubendo & parendo certus ordo, ſemotâ omni ambitione, fineſque dilatandi cupidine; quia tamen hodie quæ regna conſtituta, pleraque dominandi libidine ſunt conſtituta, ad prædas &

depopulationes inſtituendas, potius quam ad ſocietatem colendam erecta; concurrente rerum atque hominum defenſione; quod ſe ſolos infirmos ſentirent;per accidens malitiæ humanæ ab hominibus, regna eſſe condita, ac per hoc diſcretas gentes, ſtatuendum erit. *Geneſ. c. 10. §. 2. Inſtit. Jur. nat. gent. civil. l. 4. D. Juſt. & jur. Bocer. Beſold. Zoeſ. loc. antea citat.*

6. An itidem bella? Idem dicendum. Licet enim ſimplex defenſio, juri naturali adſcribatur; non tamen bellum, quæ defenſio eſt limitata & circumſcripta, partim juri naturali accedens, partim ab eâ recedens. Ut nonniſi uſu exigente, & ut hominum malitiis obviam eatur, ea ſint introducta. §. 2. *Inſt. Jur. natur. Gent. civil. l. 5. D. Juſt. & Jur. Argum. l. 6. D. eod Zoeſ. D. eod. n. 37. & ſeq. Beſold ad l. 5. D. eod. n. 1. diſſ. Hottom. ad §. ſed jus Inſt. de jur. nat. Gent. civil.*

7 An captivitates, hincque ortæ ſervitutes, & manumiſſiones? Quod Affirmandum. Etſi enim ſecundum Philoſophum aliqui naſcantur ſervi, aliqui domini; non alio ſenſu, quam quod nonnulli adeo bardi & ſtupidi, ut digni qui ſerviant, alii adeo ingenioſi, & ſublimati pectoris, ut digni qui jubeant; hæc tamen non obſtant, quo minus ſervitutes, non juris naturæ, ſed gentium & quidem ſecundævi, eſſe dicantur. Si enim

nim bella, unde captivitates, ſint juris gentium; & niſi in bello fiant ſervi; (neque enim hic ago de modis juris civilis, quibus ſervi efficiuntur) ſequitur & jur ſgentium eſſe ipſas ſervitutes. §. 2. *Inſtit. jur. nat. Gent. civil. Init. Inſt. de libertin.* §. 2 *Inſt. de jure Perſonar. l. 5. D. Juſt. & Jur. l. 32. D. de Reg. jur. l. 4. 5. D. ſtat. Homin Zoeſ. d. l. n. 36. Beſold. ad l. 4. D. Juſt & jur. n. 1.* Accuratiſſime Juriſconſultum cum Ariſtotele in materiâ propoſitâ conciliatum vide in *Epiſt. Nob. Daniel. Heinſii ad Georgium Richterum, Apud Janum Rutgerſium Var. lection. l. 4. c. 3.*

8. An obligationes, & contractus? Reſp. Sic videtur; non omnes tamen; ut dicendum, fere omnes ex jure gentium originem habere. Id quod non tantum de contractubus ſed etiam quaſi contractubus, reliquiſque juris actubus ſtatuendum erit. §. 2. *Inſt. Jur. natur. Gent. civil. l. 5. D. Juſt. & jur. l. 20. D. de Judic.* Ut tamen conſtet quinam ſint juri gentium, quinam alteri juri adſcribendi, videndum an ne ſic jus civile juris gentium contractus receperit, comprobaverit, reformaverit, ut tamen ſpecificam iis formam, quam habent ex jure gentium reliquerit; & manebunt juris gentium, ut emptio venditio &c. An vero novam iis formam ſpecificam ſuperaddiderit; & deſinent eſſe juris gentium; quod forma det eſſe rei. *d. l.*

5. l. 6. D. eod. Connan. comment. jur. l. 2. c. 3. Zoeſ. D. de Juſt. & jur. n. 43. Ernſt. in Cathol. juris cap. 10. n. 2. Beſold. ad l. 5. §. 1. D. eod Barboſ. Axiom. & Princ. jur. in verbo : forma.

9. An per hoc actiones, quæ ex obligationibus, & contractubus oriuntur? Reſp. licet actionum formulæ juris ſint civilis, materia tamen juri gentium eſt adſcribenda. *l. 2. § 6. D. Orig. jur.* Ratio in promtu eſt: Quod aliter ante 12. Tabulas, inanes fuiſſent ex jure gentium obligationes & contractus, niſi & remedia exigendi, quales ſunt actiones, locum habuiſſent. *Arg. l. 7. in init. D. de Pact.* Accedit, quod qualis eſt cauſa, etiam talis debeat eſſe effectus: ut ſi mater actionum ſit ex jure gentium, & ipſæ illi juri ſuam debeant originem. *Barboſ. axiom. & Princ. jur. in verbo : cauſa. Coraſ. ad §. 6. D. orig. jur. Treutl. diſp. 1. Pand. theſ. 4. Bacchov. ibid. Idem ad Init. Inſtit. de Action.*

10 An hypotheca, Conſtitutum, Emphyteuſis, Donatio propter nuptias? Idem dicendum. Etſi enim ex jure civili obligent, eoque ſenſu, licet admodum improprie, dicantur juris civilis. *l. 6. D. de pact.* Et ita omnes juris gentium contractus, ſuo modo dicantur eſſe juris civilis: attamen quia nec Prætor, nec Zenon Imperator, nec Juſtinianus obligationibus, prænominatis novam formam

formam addiderunt; in terminis juris gentium remanſerunt. Hypotheca enim & Conſtitutum tantum jure prætorio ad obligandum facta ſunt efficacia. Et circa Emphyteuſin, atque Donationes, neque Zenon, neque Juſtinianus, jura nova introduxerunt; quod iſti contractus gentibus non eſſent incogniti, licet nonnulli forte iiſdem proprium nomen impoſuerint. *Coraſ.* 1. *Miſcel.* 21. *Conuan.* 7. *comm. c.* 12. *Hænon. diſp. Inſt.* 1. *theſ.* 14. *Henric. Ernſt. Cathol. jur. c.* 10. *n.* 7. & 8. *diſſ. Zoeſ. ex parte. D. juſt. & jur. n.* 44.

CAPUT III.

1. *Quid ſit jus Civile in genere, deſcribitur.*
2. *An mutabile?*
3. *Quot modis aliquid dicatur juris civilis? Et an ſtipulatio? Acceptilatio?*
4. *An Teſtamenti factio, Tutela, &c.*
5. *Unde dignoſcatur aliquid eſſe juris civilis?*

1. HActenus egi de jure naturali & gentium, deque iis quæ utrique aut alterutri adſcribuntur; ſupereſt jus civile, ſic acceptum, ut & jus prætorium ſub ſe contineat; ad diſtinctionem juris naturalis atque gentium. §. 1. *Inſt. de jur. nat. Gent. & civil. l.* 9. *D. de*

Juſt. & jur. Duaren. h. Revard. Varior. l. 1. cap. 1. Et eſt jus hominum, alicujus populi, vel unius aut alterius civitatis proprium. Idque vel in quantum eo jure tanquam ſuo civitas quæque utitur; quod in eam ſit receptum. §. 2. *Inſt. Iur. nat. Gent. civil.* Vel in quantum aliquid juris quæque civitas ſibi conſtituit. §. 1. *Inſt. eod.* Illud in totum ex naturali & gentium jure deſumtum eſt; hoc cum quopiam additamento. Ut hic explodenda nonnullorum diſtinctio, qui volunt jus civile aliud eſſe merum, aliud mixtum: cum quod eſſet juris civilis meri, mera eſſet injuria, utpote quæ nec ratione nec ratiocinatione humanâ niteretur. *DD. ad. l. 6. D. Juſt. & jur. Bocer. claſſ. 1. diſp. 2. num.* 15. 16. 17.

2. Ubi quæſitum, an omne jus civile mutabile? Reſp. licet id velint nonnulli, idque ad oppoſitionem juris naturalis, & gentium ſecundævi, quod dicitur eſſe immutabile; ideoque jus civile poſitivum appellent; contrarium tamen ſtatuendum, videtur. Et quia non omne jus poſitivum eſt mutabile: cum uti ex ante dictis patet, etiam jus gentiũ primęvum, ſuo modo poſitivum eſſe dicatur. Et quia non omne jus civile origine eſt poſitivum, licet aſſumptione & comprobatione poſſit dici tale. Unde non ſine diſtinctione hæc quæſtio expediri poterit. Aut igitur jus civile eſt, quod ſimpliciter ex jure natu-

ræ

Digitized by Google

ræ deſumptum in civitatem eſt receptum; & eſt immutabile. Aut eſt tale, quod civitas ipſa ſibi conſtituit, juri naturali aliquid addendo, vel detrahendo; & mutari quandoque poterit. Non tamen ſine gravi causâ: quod omnis mutatio ſit periculoſa, adeoque reipublicæ præjudicioſa. *Arg.* §. 1. 2. *&* 11. *Inſt. jur. nat. Gent. civil. l.* 6. *D. Juſt. & Jur. l.* 2. *D de Conſt. Princip. Beſold. ad l.* 6. *D. Juſt. & jur. n.* 1. *vid. Zoeſ. h. tit. n.* 48. *ex parte diſſentientem. ut & Boerum claſſ.* 1. *diſp.* 2. *n* 18.

3. Verum ut eundem ſervem ordinem, quem in explicatione juris naturæ & gentiũ adhibui, examinabo, quænam juri civili ſint adſcribenda? Ubi prænotandum, quandoque aliquid dici juris civilis privative, in quantum jus civile aliquod commodum aufert, quomodo ſervitus dici poteſt juris civilis. § 4. *Inſt. jur. Perſon.* Quandoque approbative, in quantum, quod eſt juris naturalis probat; ut ſi pacto tribuat vim pariendi actionem; quod eo nomine legitimum appellatur. *l.* 6. *D. de Pactis.* Quandoque diſpoſitive, dum jus civile alicui negotio peculiarem formam, aut differentiam ſpecificam, aut integram naturam tribuit.

Quo ſenſu poſtremo inquiritur, Num ſtipulatio, ſeu verborũ obligatio juri civili ſit annumeranda? Quod affirmandum. Licet enim negari vix poſſit, quin in genere ſit juris gen-

Digitized by Google

tium, quia conventionibus annumeratur. *l.* 1. §. 3 *junct. l.* 5. *&* 6. *D. de Pactis.* Ejus tamen differentia eſt juris civilis; ut cujus propria ratio in eo conſiſtit, quod ſolennis & congrua oporteat eſſe rogatio, & reſponſio ſubſequens; id quod ita, uti apud Romanos obtinebat, gentibus erat incognitum §. 1. *Inſt. v. obligat.* §. 9. *Inſt. de Action.* Ejuſdem juris eſt Acceptilatio propter peculiarem ſuam formam, quod ſit contra veritatem diſſolvendæ obligationis modus. *l.* 19, §. 1. *D. Accept. l.* 13. *l.* 107. *D. ſolut. Zoeſ. D. de Juſt. & jur. n.* 44.

4. An itidem Teſtamenti factio, Tutela, Nuptiæ, Patria poteſtas, Actus legitimi, Hæreditas, Uſucapio, juri civili accenſebuntur. Id utique dicendum videtur. Argum. *Init. Inſt. de Teſtam. Ordin. l.* 4. *D. qui Teſtament. fac. poſſ. Argum. l.* 7. *D. de legat.* 1. §. 2. *Inſt. de Tutel. l.* 1. *D. eod. Init. &* §. *pen. Inſt. de Nupt. l.* 19. *l.* 24. *D. de Statu hom.* §. 2. *Inſt. de Patriâ poteſt. l.* 3. *D. qui ſui vel alien. jur. l.* 11. *D. liber. & poſthum. hæred. l.* 77. *D. de Regul. jur. ibidem Faber in Comm. Cicer. Orat. Pro Cecinn. Init. Inſt. de Uſuc. l.* 1. *D. eod. junct. l.* 14. *D. Condiction. Indeb.*

5. Verum unde cognoſci poterit indubitanter, aliquem actum juris eſſe civilis? An quia non niſi inter cives Romanos fieri poterat? Id quod videtur admittendum ſecundum

dum *Boet. comment. l.* 3. *In Topic. Cicer.* Ut tamen hinc male ex adverſo colligatur nihil poſſe fieri inter extraneos, quod juris ſit civilis. *l.* 17. *D. de Pœn.* An itidem, quia nonniſi lingua Latina celebrari poteſt? Quod affirmandum. Olim enim in ſtipulationibus ut etiam in decretis judicialibus interponendis, nonniſi Latinâ linguâ uſi fuerunt. *l.* 48. *D. de Re judic.* Et legatum Græce ſcriptum non valebat, licet valeret fideicommiſſum. *Ulp. tit.* 25. *de fideic. Paul.* 3. *Sent. tit.* 4. §. *ex his. Cujac. ibid.* Poſtmodum tamen, quæ ſunt juris civilis, etiam aliâ linguâ celebrari poterant. *Arg.* §. 1. *Inſt. verb. Obl. l.* 8. *in fin. D. Accept. Cujac. in l.* 1. §. 5. *D. verb. obligat. Henric. Ernſt. Cathol. jur. c.* 10. *vid. Montan. de tutel. c.* 6. *n.* 20. *& ſeqq.*

CAPUT IV.

1. *Jus civile, ſecundum excellentiam, quid ſignet?*
2. *Ejus diviſio traditur.*
3. *Quod portiones juris ſcripti?*
4. *Utrum Reſponſa Juriſconſultorum jus faciant?*
5. *Utrum Prætorum edictâ?*
6. *Utrum res judicata?*
7. *Utrum ſententia à Principe lata?*
8. *Utrum communis opinio Doctorum?*

1. HActenus per compendium præmiſi, quæ ſpectabant jus in genere, ejuſque diviſiones. Ut ad propoſitum perveniam, juris civilis danda erit diviſio. Quod ſecundum excellentiam jus Romanum, jus Cæſareum, Juſtinianæum, deſignat. Negandum tamen non eſt, quin etiam illud jus, quod poſt imperatorem Juſtinianum alii imperatores condiderunt, jus Cæſareum, denominari poſſit. Quale jus eſt, lex Conradi, Conſtitutiones Lotharii & Frederici imperatorum. Quarum nonnullæ in codice Juſtinianæo, aliæ in libris feudorum conſpiciuntur. Quales etiam ſunt conſtitutiones in imperio Romano-Germanico, à Goldaſto editæ; quales imperii receſſus. Mihi vero jus civile in genere accipitur, prout antea definiebatur.

2. Et ita ſumptum duplex eſt; vel commune, vel particulare, municipale, ſeu ſtatutarium appellatum. Quod eſt jus alicujus populi, ſive à populo ſit inventum, ſive ſecundum jus omnium hominum receptum in civitatem. *l.9.D.Juſt & Jur.* Hoc eſt alicujus Provinciæ vel municipii proprium. Utrumque vel eſt ſanctio, vel jus ſine ſanctione. Sanctio, nihil aliud eſt, quam jus ſimul ac ſemel ab eo latum, qui ſuprema gaudet poteſtate, vel qui juris condendi poteſtatem à ſupremâ nactus eſt poteſtate. Jus ſine ſanctione eſt, vel æquitas, vel conſuetudo. Ut

hic

Digitized by Google

hic explodenda veniat plerorumque diviſio juris in ſcriptum, & non ſcriptum. Quaſi illud ſit, quod publicâ auctoritate in ſcripturam eſt redactum; hoc non item. Neque enim ſcriptura ſpectat eſſentiam ullius juris. Cum nihil interſit ſcriptæ ſint leges, an non ſcriptæ, teſte *Ariſt.* 10. *Ethic. cap.* 9. Ut per jus ſcriptum nihil aliud intelligi debeat, quam ſanctio, ſeu jus latum. Scribere enim antiquitus deſignabat ferre; unde jus ſcriptum nihil aliud, quam lex; quæ ſimulac lata eſt, jus facit. §. 4. 5. 6. *Inſt. de Jur. nat. Gent. & civ. l.* 1. *D. Conſt. Princ. l.* 32. §. 1. *D. de legibus. Bodin. in jur. Univ. diſtr. Wurmſer. Nucl. jur contr. l.* 1. *tit.* 2. *contr.* 3. *ibidemque multi citati. Beſold. ad l.* 6. *n.* 2. *D. de Juſt. & jure; ibidemque DD. allegati. Ernſt. Cathol. Jur. c.* 12.

3. Juris ſcripti ſeu potius ſanctionis ut erat jus commune & quidem Principale; & quidem in Republicâ liberâ, tres ſunt ſpecies; lex in ſpecie, quod eſt populi juſſum; plebis ſcitum, juſſum plebis; Senatuſconſultum conſtitutio Senatus. Quod jus triplex, præter conſuetudinem, quæ erat jus non ſcriptum, in Romanâ obtinuit republicâ, antequam ea ad Monarchicum ſtatum tranſlata fuit. Quo ſenſu dixit Modeſtinus, *omne jus aut conſenſus fecit*, intellige populi aut plebis, *aut neceſſitas conſtituit*, ſupple, ſenatuſconſulta, *aut firmavit conſuetudo*, quod accipe de

jure non ſcripto. *l.* 40. *D. de leg. Cujac. l.* 18. *Obſerv. c.* 16. *Bocer. claſs.* 1. *diſp.* 3. *n.* 11. *ex parte diſſentiens, Beſold. ad l.* 6. *D. Juſt. & jur. n.* 2. *vid Bodin.* 1. *de Republ.* 10. *Hottom. ad* § *Senatus. inſt jur. nat. Joh. Sarius Samosʒius de Senat. Popul. Roman. libr.* 2. *p.* 6. *& paſſ. Althuſ. dicajol. libr.* 1. *c.* 14. *n.* 15. *& c.* 15.

4. Quid itaque de Reſponſis Juriſconſultorum erit judicandum? Reſpondeo, non ſunt præciſe juris partes aut ſpecies. Sanctiones enim non ſunt; quia non latæ ab eo, qui ſuprema gaudet poteſtate. Neque etiam ante Juſtinianum erant jus non ſcriptum: uti nonnulli hic ſomniant, quia non erant conſuetudo; ut juris nomen non mereantur. Idque vel inde colligitur, quod judicibus quibus reſponſa ſua mittebant juriſconſulti, quandoque etiam ab iis recedere fuerit permiſſum, licet non facile, non temere. Non dubium enim, quin quandoque uterque litigantium pro ſe habuerit cujuſdam juriſconſulti reſponſum, ut alterutrum à judice oportuerit fuiſſe neglectum. *Argum. l.* 2. §. 47. *D. de Origin. jur. Hottom. ad.* §. 8. *Inſt. de jur. nat. Gent. & civ.* vid. hic *Beſold. ad l.* 7. *&* 8. *D. de Juſt. & jur. Bocer. claſs.* 1. *diſp.* 3. *n.* 32. *Zoeſ. D. de Juſt. & jur. n* 62. *vid. Merend. jur. contr. l.* 2 *c.* 4.

5. Quid de Edictis Magiſtratuum, de jure honorario ſtatuendum erit? Reſp. Quod Prætorem ſpectat, certum eſt, eum olim non condendi,

dendi, verum dicendi tantum habuiſſe auctoritatem. *l. 2. §. 27. D de Orig. jur.* Poſtmodum ut edicta conderet, quæ prius annua, deinde perpetua, ei fuit permiſſum. *§. 1. Inſt. Perp. & Tempor. Act.* Quæ licet non modicam juris habuerint auctoritatem. *§. 10. Inſt. de jur. nat Gent. & civil.* eoque nomine quandoque leges appellarentur: non tamen præciſe leges conſtitutas abrogare, ei fuit permiſſum. Qui non juris conditor, ſed diſceptator, ſed cuſtos, fuit appellatus; etiam viva vox civitatis. *§. 7. Inſtit. de jur. nat. Gent. civil. l. 7, 8. D. de Juſt. & jur. l. 12. §. 2. D. bonor. Poſſ. Bachov. ad §. 7. Inſt. jur. nat. Gent. Ernſt. Cathol. jur. c. 16. vid. accurate Anton. Merend. tom. 2. juris controv. libr. 12. c. 33.*

6. Quid ſtatuendum de rebus judicatis, an & illæ jus facient? Reſp. Licet Tullius in Topic. juris ſcripti ſpeciebus addiderit res judicatas; unde & præjudicia ſumebantur, quæ Aſconio Pedian. erant decreta; quæ judicaturis exemplum adferrent, quod ſequerentur. Quia tamen nullibi inter juris ſpecies enumerantur, ubi tamen de juris portionibus agitur. *l. 7. D. juſt. & jur.* Et non exemplis, ſed legibus eſt judicandum. *l. 12. D. off. Præſ.* inferendum erit, eas juris auctoritatem non habere. *l. 13. Cod. de ſent. & interloc. omnium judic.* Ratio etiam id ipſum ſuadet: eo quod facti minima mutatio, diverſam

verſam ſententiam depoſcat. *Conn*, 1. *comm. jur. c.* 15. *n.* 6. *Pac.* 1. *Cent. Enant. quæſt.* 16. *Sand. Præfat. ad deciſ. Friſ. Pacius* 1. *Antin.* 19. *diſ. Mynſing. ad* §. *Reſponſa. inſtit. jure natur. gent. & civil.* Ex parte *Speckh. centur.* 2. *claſſ.* 4. *q.* 39. Diſſ. nonnulli inter nos Pragmatici, qui juris debitâ cognitione deſtituti, tantam rotarum deciſionibus auctoritatem tribuunt ut eas, pro Pythag. αὐτὸς ἔφα, habeant. Cum cogitandum fuiſſet rotam quandoque rotare, & præjudicia Cameralia invicem ſæpe adverſari. *Beſold. ad l.* 7. 8. *D. juſtit. & jur. n.* 7. Aliud forte de ſtylo curiæ dicendum, quod habeat vim legis. *Arg.* §. *ult. Inſt. de Satiſdat.* quo refero *l.* 38. *D. de legibus. Coraſ. ad l.* 25. *D. ſtat. homin. Hackel. illuſtr.* 1. *theſ.* 13. *Speckhan. centur.* 2. *claſ.* 4 *quæſt.* 39 *Groenw. de ll. Abrog. ad l. ult. Cod. de legibus.*

7. Aliud tamen dicendum, de ſententia à Principe latâ. *l. ult. in init. Cod de legibus.* Quo de Moribus non immerito retuleris ſententiam in reviſione latam.

8. Quid igitur ſentiendum de communi doctorum opinione? An & illa jus faciet? Ita quidem cenſent nonnulli, qui eandem juris auctoritatem noſtri tempo is DD. tribuunt, quam habebant reſponſa veterum Juriſconſultorum. *Wurmſer. l.* 1 *tit.* 2. *contr.* 6. *ibidemque innumeri DD. Bocer. claſſ.* 1. *diſp.* 3. *n.* 34.

n. 34. *Beſold. ad l. 7. n. 6. D. de legibus.* In tantum etiam, ut Judicem litem ſuam facere velint, ſi in judicando à communi & receptâ deflectat opinione. *Sichard ad Auth. Sacramenta puberum. Cod. ſi adv. vend.* Verum qùia ſine jure loquuntur quotquot id ſtatuunt, contraria ſententia erit amplectenda. Tenetur enim judex in judicando ſequi, quod legibus & moribus eſt proditum; quo nemo retulerit communem opinionem, qui ſæpe communis quiſpiam error eſt, adeoque juris nomen non meretur. *Init. Inſt. de Offic. judic. Novell* 82. *§. pen. Arg. l.* 1. *§. ſed neque.* 5. *Cod. Vet. jur. Enucl. Conſentiunt Zaſ.* 2. *Sing. Reſp.* 1. *Alciat.* 1. *Præſ.* 51. *n.* 3. *Joh. Vaud.* 1. *qu.* 10. *Coraſ. ad l. unic. D. de offic. quæſt. Pichard. in comm. ad inſtit. tit. quod cum eo qui in alien poteſtat. §.* 8. *n.* 6. *Cubach. in fin. libri Brocardicorum. Hunn. ad Treutl. vol. poſter. diſp.* 23. *theſ.* 5. *p.* 390. *Anton. Matth. diſp. de judic.* 11. *n.* 4. *Nebelkra deciſ.* 1. *per totum.*

SECTIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

1. *In ſtatu monarchico tantum Princeps jus facit.*
2. *Lex regia multiplex.*
3. *Ubi legis Regiæ monumentum?*

4. U-

4. *Utrum ea unquam ſuerit lata?*
5. *Lex Regia, non eſt jus Regium Hebræorum.*
6. *Quo tempore lata ſit lex Regia?*
7. *A quo ea ſuerit lata?*
8. *Quis finis legis Regiæ?*
9. *Quæ occaſio?*
10. 11. *An ſi metus ſuerit occaſio, lex valeat?*
12. *Quale jus in Principem ſit collatum?*
13. *An communicative, an abdicative?*
14. *An aliqua poteſtas penes Senatum?*
15. *An Princeps legibus ſolutus?*
16. 17. *Senſus legis Regiæ explicatur.*

1. JUs, quod in Republicâ libera obtinebat, triplex erat, Lex, plebiſcitum, & conſultum ſenatus. Neque enim aut edicta prætorum, aut prudentium, reſponſa jus erant abſolute. Suo tamen modo jus appellabantur uti id paulo ante fuit oſtenſum. Illa in quantum non modicam obtinebant juris auctoritatem. Hæc in quantum non facile ab eorum reſponſis judici recedere permiſſum erat. §. *Reſponſa* §. *prætorum. Inſtit. jur. nat. Gent. Civil. l. pen. D. juſt. & jur. l.* 40. *D. leg.* Poſtquam autem ſtatus reipublicæ liberæ, in Monarchicum fuit tranſlatus, nonniſi

niſi Principis conſtitutio jus erat; utpote cujus ſolius eſt legem ferre, latamque interpretari. Verum quia omnis illa poteſtas lege Regiâ in Principem dicitur tranſlata ideo antequam agatur de Principis conſtitutionibus, *Regiæ legis* natura erit explicanda. Et quia hæc juris materia ſatis eſt intricata, propter diſſentientium autorum opiniones multiplices, operæ precium me facturum exiſtumavi, ſi primitus varias legis Regiæ acceptiones protulero. Ne aliter ſub ambigua Legis Regiæ acceptione, obſcurus eſſe videar, neque quis ſit controverſiæ ſtatus, innoteſcat ſatis.

2. Eam itaque intueor vel ut dicta regia ab autore, ut ita appellata à contentâ materiâ, id eſt à Rege, quod de Rege ejuſque poteſtate agat. Neque hæ leges nobis erunt confundendæ, ut quæ multis modis diſcriminentur. Illa quippe non ſemper populi conſenſu lata eſt; hæc verò ab ipſo lata populo. Illa eſt, quam Rex tulit ad populum, & quidem ſuper populo; hæc vero quam populus tulit ſuper jure Regis. Sicut illâ deſignetur Regis in ipſum populum imperium; hâc populi in omnes poteſtas, etiam ante tranſlationem ejus poteſtatis in ipſum Regem. De illâ lege Regiâ, ſeu potius Regiis legibus, numero plurali, in jure non ſemel fit mentio. Olim, *manu Regiâ*, id eſt, uti interpretor, lege, à Rege latâ, omnes gubernabantur. *L.* 2. §. 1.

Digitized by Google

2. §. 1. & §. 36. *D. orig. jur.* Et poſt *regiæ leges* dictæ, quas Reges tulerunt ad populum. *l.* 2. §. 2. *D. eod. l.* 2. *D. Mortu. infer. Cujac.* §. 1. *ad tit. D. eod.* Unde recte cecinit poeta *libr.* 1. *Æneid.*

——— Remo cum fratre Quirinus
Jura dabat:

Etiam de Priamo in hanc ſententiam libr. 7. *Hoc Priami geſtamen erat cum jura vocatis More daret populis.* Neque obſtant antecedentia verba Pomponii. in *l.* 2. Quod populus *non lege certa nec certo jure uteretur.* Id enim ſignificat non legibus à populo latis, nec certo jure ſcripto, id eſt perpetuo & immutabili uſum eſſe populum, quod vel indies Reges pro arbitrio ſuo jura mutare potuerint, etiam id facere conſueverint.

Quæ verò *Regia* dicta eſt ab autore, potiſſimum jam explicandum. Quod ut fiat commodiſſime, eam ſecundum varia tempora conſiderabo: ut eſt *Antiquiſſima*, ut *Media*, ut *Nova*. *Antiquiſſima* lex Regia ab autore ſic appellata, quæ lata eſt regnante Romulo, primo Romanorum rege; adeoque ſimul cum urbe nata. *Hottom de leg pop Rom.*

Nova appellata, quæ in imperio declinante locum habet, adeoque ea erit, qua non tam poteſtas abſoluta in imperatorem transfertur, quam quidem ejuſdem poteſtas limitatur, adeoque tanquam frænis ac retinaculis ſiſtitur, coërcetur; ne illi id omne liceat.

liceat, quod libuerit, Qualis eſt illa capitulatio Cæſarea, quæ in imperio Germanorum locum habet. *Carpzov. de l. Reg. Germanor. c. 1. n. 11.*

Media dicta *Regia*; non tantum, quod de Regno ſive imperio Principis agat, ſed etiam de poteſtate à Populo in Principem tranſlatâ. §. 6. *Inſtit. jur. nat. Gent. civ. l. 1. in init. D. Conſt. Princ.* §. 7 *D. concept. digeſt.* Adeo ut ſine fundamento pro lege *Regiâ Remniam* ſubſtituant *Alciat. in l. bona civit. n. 1. D. verb. Sign.* & dubitanter *Coraſ.* 6. *Miſc. c. 8. n. 2.*

Hæc eadem dicta, *lex Auguſti, l. 14. D. Manumiſſ. Auguſtum Privilegium. l. unic. §. antepen. Cod. Cad. Toll. Lex imperii, l. 3. Cod. Teſtam.* Eamque ſic ab initio dictam fuiſſe, non *regiam*, idque ad invidiam nominis evitandam, probabiliter colligitur ex illo Dion. l. 53. Ubi ita latinè: *Cæſar quamvis Romuli nomen vehementer appetebat, tamen quum ſentiret hinc ſe ſuſpectum, affectati Regni fieri, eo omiſſo, Auguſtus, quaſi hominis natura amplior ipſe cognominatus eſt.* Et poſt. *Ad hunc itaque modum ratione eorum nominum quæ in populari civitatis ſtatu uſurpantur, omnem totius rei publicæ poteſtatem accipiunt: ac regiam etiam, niſi quod invidiam nominis vitant.* Quo cum facit illud *Tacit. Annal.* 1. *non regno, nec dictatura, ſed Principis nomine conſtitutam fuiſſe Rempublicam.* & *Annal.* 3. Tiberius

berius *tribunitiam Druſo petebat. Id ſummi faſtigii vocabulum Auguſtus repperit, ne regis aut dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera Imperia præmineret.*

3. Hujus Regiæ legis verba, æneæ tabulæ (non marmoreæ, uti nonnulli cenſuerunt) inciſa, non niſi ſecundum partem ultimam, *Georg, Fabrit. Antiq.* 1. quam imperitum vulgus quondam Pontii Pilati ſententiam continere credidit, *Anton. Auguſt, dial. Antiq.* 4. In Baſilicâ Lateranenſi extare communiter receptum *Anton. Auguſt. d. l. Hottom. de Leg. pop. Rom.* Licet veroſimilior Eccardi opinio, qui *diſp. ſing de leg. Reg.* hoc legis Regiæ monumentum è Laterano in Capitolium tranſlatum, ibidemque etiamnum hodie extare, & aſſervari ſcribit.

4. Circa hanc *Regiam legem* quæſitum, in principio, num ea unquam fuerit lata? Reſpondeo, licet *Connan.* 1. *comm.* 16. aliique ſtatuant, eam latam à populo nunquam fuiſſe, verum à poſtremis imperatoribus, ut ſic aliquam ſuæ Tyrannidi legem obtenderent: at tamen quia non facilè, hiſtoriarum fides ut & autoritates juriſconſultorum, in corpore juris occurrentes, ſunt convellendæ, niſi manifeſtioribus probationibus contra veritatem multa ſcripſiſſe convincantur, non video cur non eam legem quondam latam fuiſſe ſit admittendum. §. 6. *Inſtit. jur. nat. Gent. civil. l.* 2. §. 11. *D. Orig. jur. l.* 1. *in init.*

Digitized by Google

init. D. Conſtit. Princip. §. 6. *de D. Concept. l. unic. D. de off. Præf. Prætor. Strabo l.* 17. *Dion. lib.* 53. *Ammian. Marcell. lib.* 14. *p.* 12. cujus aliquot loca poſtmodum proferenda; neque enim in jure ſine Hiſtoricorum autoritate decidenda quæſtio, quæ potiſſimum hiſtoricâ nititur fide. Argum. §. 2. *Inſtit. empt. vendit.* Nec quicquam obſtat, quod Hiſtorici illius temporis legis Regiæ mentionem nullam faciant, uti qui contrarium tenent, aſſerunt. Et quia, inter illos nonnulli haud latenter, illius legis contentum exprimunt. Et quia, id affirmant tot fide digni juriſconſulti, qui ævo Auguſti proximi fuere. Et quia argumentum ab autoritate deſumptum, non concludit negativè. Neque enim ſequitur, Suetonius Tranquillus, aliique non ſcribunt Legem Regiam fuiſſe latam: ergo lata non eſt. Præterquam quod nemo illorum auctorum, qui tacent, neget aut contradicat. Vid. in ſimili Diſcurſum *Rev. Parentis, de Tranſl. imper. à Græcis ad Francos. n.* 6.

5. Quæſitum amplius, Num quæ de lege Regiâ in jure dicuntur, potius ad jus Regium à Samuele propoſitum ſint referenda? Ita quidem velit Vultejus, quem refutat *Bullæus in diſp. de Trib. Gener. jur. Præcept. n.* 10. quod ea opinio nullo fundamento nitatur. Qua enim ratione lex Regia, cum jure Regio à Samuele deſcripto, confunderetur?

retur? Cum ſit probabile Romanos de illo jure Regio Samuelis, diu ante erectum principatum lato, ne quidem per ſomnium cogitaſſe. Præterquam quod lex illa Regia Romanorum vere fuerit lex, cum jus Regium Samuelis, non lex, ſed conſuetudo, ſed modus Regis ſit nuncupandus. Sic enim vocabulum *Miſpath*, quod in textu Hebræo occurrit, 1 *Sam.* 8. *v.* 11. in aliis ſcripturæ locis uſurpatur. Nam 1. *Sam.* 2. *verſ.* 13. improbata filiorum Eli conſuetudo. *Et* 1. *Sam.* 27. *verſ.* 11. fraudulentum Davidis factum, *Miſpath.* appellatur. Diſſent. *Tholoſ. de Republ.* l. 24. *c.* 7. *n.* 1. Accedit, quod eveniente principatu, populum Romanum jus illud, de quo diu ante in Palæſtinâ verba fecerat propheta Iſraëliticus, obligare nullo modo potuerit. Quid enim juris erat Judæis, in illas Gentes quas nunquam ſubegerant? Cumque cæteræ leges Iſraëlitarum Romanum populum nunquam obligaverint, quo jure, hæc regia lex eum obligaverit, non video: cum omnium legum in ordine ad obligationem, una ſit ratio. Quid quod ne quidem nos obligent leges à Judæis latæ, qui tamen in Republicâ degimus Chriſtianâ; tantum abeſt, ut Romanis, & quidem Gentilibus, eæ latæ dicantur. *Beſold. ad tit. D. conſt. Princip. Ameſ. lib.* 5. *caſ. conſc. c.* 1. 7. *Zepp. leg. Moſaic. l.* 1. *c.* 12.

6. Verum non minor inter autores diſſenſus

ſenſus eſt quando ea fuerit lata? Alii eam ad imperium Romuli referri poſſe cenſent, ut quo tempore alicui legi Regiæ locum fuiſſe ex *Liv. l.* 34. teſtatur *Hottom. loc. cit.* Verum ea ſententia mihi videtur eſſe improbabilis. Ceſſaviſſet quippe ipſa lex Regia, imo in totum fuiſſet ſublata, poſt ſublatum vetuſtius regnum, ſic ut quæ poſtmodum diceretur renovata, non tam eſſet revocata, cum non eadem, quam alia quæpiam lex, de novo condita.

Alii, legibus antiquioribus de quibus *Cicer. 3. de legibus*, eam ferunt acceptam, quibus Conſulibus idem jus quod Regibus videtur eſſe tributum. Verum & hoc perperam ſtatuitur. Licet enim illis legibus dictum ſit; *Conſules nemini parento*: Attamen non id de populo, ad quem à Conſulibus erat provocatio, quam de aliis magiſtratubus quibus Conſules non ſuberant, eſt accipiendum.

Alii ante Auguſti tempora, Julio Cæſare imperante, legem regiam latam fuiſſe tenent. Alii eam primitus, (inter quos eſt etiam *Zas. ad. l.* 1. *D. conſt. Princ.*) Veſpaſiani temporibus obtinuiſſe, ſtatuunt. Verum cum illi omnes abunde hiſtoricorum autoritatibus refutentur, dicam, quid hic ſentiam, idque multis teſtimoniis firmatum ibo. Id quidem verum eſt nec inficias ire poſſum, quod ante Auguſti tempora legis Regiæ placita obtinuerint, eaque incæpta ferri,

ferri, cum ſolus propemodum omnia pro lubitu adminiſtraret Julius Cæſar; nondum tamen ea lata, forte quia regis ſpecie ſolus imperio potiri voluit Cæſar, quod tamen minus feliciter ſucceſſit. Hoc ipſum ſatis innuunt Suetonii verba in Jul. Cæſ. *Unus ex eo tempore omnia in republicâ, ad arbitrium adminiſtravit: ut nonnulli urbanorum, cum quid per jocum teſtandi gratiâ ſignarent, non Cæſare & Bibulo, ſed Julio & Cæſare actum ſcriberent, bis eundem proponentes, nomine atque cognomine.* utque vulgo mox ferrentur hi verſus,

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare factum eſt:
Nam Bibulo fieri conſule nil memini.

Et illud, *Noviſſime dubium an ipſo volente, oblata pro roſtris ab Antonio conſule, regni inſignia. Flor. lib. 4. c. 2. & Paterc. l. 1. Dion. libr.* 44. Quæ forte, ratio, quod ſub initium legis Regiæ, uti ea proſtat, Julii Cæſaris facta ſit mentio. Vid. eam editam apud *Hottom. loc. cit.*

Etiam id lubens admittam eandem renovatam fuiſſe temporibus Veſpaſiani *Clapm. lib. 2. c. 15. Arnan. domin.* Revera tamen & quidem ſolemniter demum fuit lata, Auguſto imperante, idque eodem annuente, quo populo Romano eſſet gratior, velut per manus ab eo ſuſcepto imperio. *Florus. 4. c. 3. Guil. Onciac. quæſt. jur. Phil. 26.*

Id

Id quod confirmatur partim auctoritate *l.* 14. *in fin. D. Manumiſſ.* ubi appellatur *lex Auguſti.* Partim ratione, quia ſub Auguſto demum Reipublicæ forma mutata, & ad Monarchicum ſtatum tanſlata eſt, ſic ut ipſi hæc conceſſa poteſtas, ut rempublicam ſolus adminiſtraret.

Sub Auguſto quippe, ſunt verba Herodiani latinè tranſlata, *Romanorum potentia ad unius arbitrium eſt devoluta. libr.* 1. *in init.* Et *poſtquam bellatum ad Actium, omnium poteſtatem in unum conferri, pacis interſuit. Tacit. Hiſtor.* 1. Neque enim *aliud diſcordantis patriæ remedium fuit, quam ut ab uno regeretur.* Idem *Annal.* 1. Et qui noſtram ſententiam dilucide confirmat eſt Dion Caſſius, cujus verba eo lubentius huc transferre decrevi. Is lib. 53. p. mihi 495. tranſlatus, ita diſſerentem introducit Auguſtum: *Nihil aliud eſt, quod potius prædicem, aut quo magis glorier, quam quod regiam poteſtatem, & is à vobis datam* (loquitur de Jul. Cæſ.) *repudiavit, & ego eam habens depono.* & idem Hiſtoricus in ſeqq. p. 503. *Ubi peroravit* (ſcil. Auguſtus) *multis cum verbis precati ſunt, ut ſolus Imperii ſummam gereret, multiſque, quibus id ei perſuaderent adductis argumentis, eo tandem compulerunt, ut principatum ſolus gereret.* Cui addatur locus ejuſdem autoris, p. 507. quem Leunclavius ſupplevit. *Hoc pacto omne populi ſenatuſque imperium ad Auguſtum tranſiit,*

ab eoque perfecta Monarchia Romanorum initium accepit. Ex quibus teſtimoniis abunde patet, quo tempore lex regia fuerit lata. Quæ ſequuntur magis ex jure civili, quam ex Hiſtoriis temporum ſunt decidenda, ſic tamen ut omnibus controverſiis Regiam legem ſpectantibus, & hiſtoricis & rationibus aliquis ſit relictus locus. *Wurmſer. nucl. jur. contr. libr.* 1. *tit.* 2. *contr.* 4.

7. Imprimis itaque in cauſas erit inquirendum, & quidem, à quo lex illa Regia fuerit lata? Populum eam tuliſſe, colligitur iis allegationibus, quibus probatum fuit, legem Regiam unquam latam fuiſſe. Neque enim Rex ſibi legem tulit, neque in ſe omne jus ipſe tranſtulit, quod ejus transferẽdi nullam habuerit poteſtatem Aut ſi ullam habuit, eam ut à populo ſibi conceſſam vindicaverit. §. *quod Principi. Inſtit. de jur. nat. Gent. & civil. l.* 1. *D de princ. Conſtit. Autores ſuperius allegati.*

8. Non alius autem finis & ſcopus fuit dictæ legis quam ſalus populi ſeu univerſitatis: hæc ſaltem prophaſis, hic prætextus. Licet, ſi verum loqui liceat, lubido dominandi fuerit Principum intentio. Eadem refertur fuiſſe occaſio conſtituendi Senatum, eumque vice populi conſulendi. §. *Senatus conſ. Inſtit. jur. nat. Gent. & civil. l.* 2. §. 8. *D. de Orig. jur.* Scilicet intererat Reipublicæ ut uni populus ſubeſſet, & diſcordantis patriæ non aliud remedium erat, quam ut ab uno

uno regeretur. *Tacit. Annal.* 1.

9. Occaſio forte latæ Legis fuit metus, fuere minæ. Certum enim populum, vel potius ſenatum vice populi fungentem, eo ad actum fuiſſe nonnullorum potentia; adeoque armorum formidine coactum, ut in unum omnia conferret. Teſtatur *hoc Sueton. in Auguſt.* cap. 26. Idem quod *Clapmarius* poſt alios ſtatuit, in tractatu *de Arcan. Imperii libr.* 2. *cap.* 15.

10. Unde quæſitum, utrum hoc factum teneat, aut jus in poſterum faciat quo populus in Principem metu aut minis ſua tranſtuliſſe dicitur? Reſpondeo, licet forte reſcindi poſſit, quod ita geſtum eſt; quia tamen aliquis ibidem conſenſus adfuit, uti teſtatur *Dion.* loco ſuperius allegato, contractum inter Principem & populum tenere dicendum eſt. *Arg.* §. 1. *Inſtit. de Except. l.* 21. §. 5. *& in fin. D. Quod Met. cauſ. geſt.*

11. Quid ſi tamen Princeps populum eo adegerit armorum terrore, & quidem contra proteſtantem, vel occultè, vel propalam; anne tali conventioni, aut contractui ſtare tenebitur, adeoque Principi ſubjectus erit? Reſp. licet de facto ſubjectus ſit, dum forte armis ſubigitur, non tamen de jure ſubeſſe tenetur, quod nullus populi in ſubjectionem fuerit conſenſus. In tantum etiam ut quâcunque occaſione impune jugum illud, modo virium ſatis habeat, abjicere valeat.

Digitized by Google

Argum. l. 6. §. *ult. D. Acquir. vel omitt. hæred. Argum.* §. 10. *Inſtit. de Rer. diviſ.* Nec obſt §. 17. *Inſtit. eod.*

12. Sed quæſitum amplius quale jus in Principem ſit collatum? Reſpondeo, Id omne quod antea populus aut Senatus habuit. Sic ut non tantum populus ſuum patrimonium regendum Principi permiſerit, uti vult *Ammian. Marcell. Hiſtor. libr.* 14. Verum etiam hoc ipſum, ut omnibus præeſſet, in quantum Populo perſuaſum fuit, Reipublicæ per unum conſuli debere. *l.* 2. §. 11. *de Orig. jur. Dion. p. mihi* 498.

13. Unde quæſitum, utrum Populus Imperatori tantum omnem poteſtatem communicaverit, an etiam à ſe prorſus abdicaverit? Reſpondeo, licet Duarenus *ad tit. D. de conſtit. Princ. cap.* 1. poſterius neget; argumento *l. de quibus. D. de leg.* videtur tamen contrarium de jure civili eſſe probabilius. Præſertim ſi quæſtio de majeſtate perſonali. §. *Principum placita. Inſtit. jur. nat. Gent. civ.* Leges enim paſſim utuntur verbo *conceſſionis*, & *tranſlationis. l. ult. Cod. de leg. l.* 3. *Cod. crimin. Sacril. l. ult. Cod. de ſent. & interloc. judic. l.* 1. §. 7. *Cod. de veteri jur. enucleand. Placent. Inſtit. ad tit. de jur. nat. Gent. civ. Carpzov. Ad l. Reg. German. cap.* 2. *ſect* 8. *num.* 20.

14. An igitur penes Senatum poſtmodum nihil juris, nihil virium remanſit? Reſpondeo

ſpondeo; reverâ nihil remanſit. Saltem nonniſi umbratilis quæpiam poteſtas vel ſimulacrum aliquod poteſtatis, idque Principe connivente. *l 2. D. conſt. Princ. Nov. 105. in init. -- l 9. D. de leg l. 8. Cod. eod. l. quiſquis. 5. Cod. Ad l. Juliam Majeſtat. Dion. p. mihi.* 498. 507. *in fin.*

15. An propterea poſtquam omnis illa populi poteſtas in Principem eſt tranſlata, legum vinculis Principem exemptum dicemus? Reſpondeo, ita quidem velint ipſi Principes, quibus forte plebiſcitnm Atheniĕnſe placeret, ut quidquid Rex Demetrius juſſiſſet, illud & apud Deos fas, & apud homines jus eſſet. Idem ex parte innuere videntur, omnes illæ ſententiæ & phraſes, quę adulationibus plenæ, legibus nonnullis civilibus continentur; quaſque proculdubio viri Principes ad ſuum arbitrium effinxerunt. *§. ult. Inſtit. quibus Mod. Teſtam. Infirm. l. 31. D. de leg l. ult. Cod. de leg. l. 3. Cod. Crim. Sacril.*

Id tamen per omnia verum non eſſe, etiam ex leg. civilibus colligi poteſt. *l. digna vox. Cod. de leg. vid. Donell.* 1. *comm.* 17. *Dan. Ethic. Chriſt. libr.* 2. *cap.* 12. *Bacchov. ad §. ult. Inſtit. Quibus mod. Teſt. infirm. Speckhan.* 1. q. 72. *Barboſ. coll. in Cod. ad l. 4. Cod. de leg.* Ibidemque innumeri. Ut tamen audiendus non ſit *Cujacius obſ.* 15. c. 30. *& obſ.* 26. *cap.* 35. Qui tantum legibus

Digitized by Google

caducea riis & pœnariis Principem velit eſſe ſolutum, aut aliquibus juris ſolemnibus. Id enim Principi non competeret, vi poteſtatis ſupremæ, ſed ex ſingulari quodam beneficio. Auguſta quippe talibus gaudet privilegiis, licet non habeat legibus ſolutam poteſtatem. *l. 31. D. de leg. Beſold. oicon. jur. tit. 4. libr. 1. P. q. 7. ibidemque varii.*

16. Verum quis ſenſus verborum; in d. l. Regiâ occurrentium: *quod Principi placuit, legis habere vigorem*? Quæ verba exſtant *d.* §. 6. *Inſtit. & l. 1. D. de Conſtit. Princip.* An autoritatis legiſlatoriæ diminutionem deſignabunt? Non equidem. Et quia Principi eadem concesſa fuit poteſtas, quæ erat populi *l. 3. in fin. D. de offic. Prætor.* Igitur vere potuit leges condere. *l. ult. Cod. de leg.* Et quia ea verba referuntur ad Principis placita, poſtquam ei legum ferendarum poteſtas eſt tributa. *d.* §. 6. *& d. l. 1.* Et quia in locis allegatis, ea Principum placita, quæ *legis vigorem* habere dicuntur, *leges eſſe*, citra dubitationem aſſeritur. Ut hallucinetur Perezius, qui placita Principum tanta fuiſſe cenſet, ut appellari leges meruerint, quaſi ideo *duntaxat* cenſeantur legis habere vigorem. *Perez. tit. Cod. de legibus num.* 2.

17. Verum quis ſenſus illorum verborum *d.* §. 6. *& d. l.* 1. quibus dicitur, *ei & in eum* populum ſuam poteſtatem tranſtuliſſe? Utrum emphatice erunt accipienda? ſicut popu-

populus Principi & in Principem ſuam tranſtulerit poteſtatem? Non videtur. Neque enim tam foret emphaſis quam pleonaſmus. Præterquam quod non videatur probabile, populum ſic oſtendere voluiſſe ſuam obnixam in Principem voluntatem, uti id perperam vult *Bacchov. ad d.* §. 6. *Inſtit.* Utrum potius per vocem *ei* deſignabimus imperatorem, & per vocem, *in eum*, ipſum populum? Ita effectu inſpecto dicendum videtur. Poteſtas enim Principi collata non tantum eſt in Provinciales, & ſubjectos populo Romano, ſed & in ipſum populum Romanum. Neque hinc abſurdus oritur ſenſus, ſi dicamus in ipſum populum Principi datam eſſe poteſtatem. Præſertim cum aliter fruſtra poſitum fuiſſet vocabulum *ei*. Cui non obſtat, quod elegantiæ repugnare videatur, pronomen non reciprocum, pro reciproco uſurpari: præſertim cum id in jure infrequens non eſſe ex variis juris locis colligatur. *l. ſi quiſ.* 22. *in Princ. D. de leg.* 3. *l.* 17. §. *ult. D. Recept. Arbitr. Dion. p. mihi.* 499. *Theophil. ad d.* §. 6. *Inſtit. Duaren. cap.* 1. *de Poteſt. Princ. Coraſ. ad d. l.* 1. *Baro ad d. l.* 1. *D. de Princip. Conſtit.*

Quod ſi per *eum* intendamus ipſum Principem? Senſus juri civili atque rationi minus conformis admitteretur. Abſurdum quippe eſſet alicui dare poteſtatem, quâ ipſe adverſum ſe utatur. Præterquam quod illam poteſtatem, ſic conceſſam, non acceptaſſent

Principes, ut qui potius ad abſolutum ad ſpiraſſent imperium. Præterquam quod notiſſimum ſit, neminem ſibi jus dicere aut Imperare poſſe. *l.* 51. *D. de Recept. Arbitr. l.* 40. *in fin. D. fidei commiſ. libert. l.* 7. §. 8. *in fin. D. don. inter vir. & uxor. Beſold, Oiconom. jur. ad tit. D. Conſtit. Princip.*

CAPUT. II.

1. *Quæ ſint Majeſtatica?*
2. *Quid ſint Conſtitutiones Principum in genere?*
3. *An omne Principis placitum lex ſit?*
4. *Quot generum ſint Principum Conſtitutiones?*
5. *Quid Decretum?*
6. *Quid Edictum?*
7. *Quid Oratio?*
8. *Quid Mandatum?*
9. *Quando valeat?*
10. *Utrum omni Principis Mandato ſit parendum? diſt.*
11. *Objectionibus ſuccurritur.*
12. *Quid ſit Reſcriptum?*
13. *Quis poſſit ſupplicare Principi?*
14. *Utrum Reſcriptum Principis habeat vim legis?*

15. U-

15. *Utrum Principis interlocutio?*
16. *Utrum omne reſcriptum valeat?*
17. *Utrum per ſub aut obreptionem vitiata valeant?*
18. 19. *Quibus modis reſcripta vitientur?*
20. *An reſcripti exemplum, an authenticum probet?*
21. *An error in conſtructione vitiet reſcriptum?*
22. *An reſcriptum Principis ſtricte ſit ſumendum?*
23. *Utrum ius tertio quæſitum per Principem poſſit auferri.*

1. POſtquam lege Regiâ probatum eſt, ſummam, & pleniſſimam in Principem poteſtatem ſupra omnes magiſtratus eſſe tranſlatum. *l.* 1. *D. offic. præf. Prætor. l.* 8. *D. Offic. Proconſ.* adeoque ea omnia Principis eſſe facta, quæ ſunt poteſtatis ſupremæ: ſupereſt ut breviter & veluti in tabellâ exhibeantur ea quæ ſupremę competunt poteſtati; *majeſtatica* Politicis appellata. Talia ſunt in jure noſtro, relata: legis - latoria poteſtas; interpretatio; diſpenſatio; legis ſtrictæ moderatio; Privilegiorum conceſſio; aſylorum conſtitutio; litterarum moratoriarum tributio; reparatio famæ; legitimatio; natalium reſtitutio; ætatis venia, arrogatio;

juramenti relaxatio; aliquaque multa; moribus & generali conſuetudine recepta. §. *ſed & quod Principi. Inſtit. de Jur. Nat. Gent. & civil. l. 1. l. ult. Cod. de leg. l. 2. §. 18. Cod. vet. jur. Enucl. l. tanta. §. ſed quia de Confirm. Dig. -- l. 1. §. 2. D. Princip. conſtit. l. 1. §. Idque à Principe, 42. D. de Aquâ Quot. & Æſtiv. -- §. ult. Inſtit. Qui ſui vel alien. jur. tit. Cod. de his qui ad ſtat conſ. --- l. quoties. Cod. de Precib. Imper. Offer. -- l. 1. §. eum qui. l. 10. §. 10. D. de Poſtul. l. 1. Cod. Sent. Paſſ. -- tot. tit. D. de Natal. Reſtit. -- l. 1. & 3. Cod. Qui ven. ætat. impetr. -- l. 2. in princ. D. de Adop. l. 6. Cod. eod. §. Imperatoris. Inſtit. eod. -- l. 38. in Princ. D. Ad Municip. DD. ad c. unicum; Quæ ſint Regalia. Merula Prax. civil. libr. 1. tit. 4. cap. 1. artic. 15. Sixtinus de Regalibus. Beſold. ejuſque frater, de libat. jur. ex libr. 1. P. num. 11. & ſeq.*

2. Verum tamen quia maxime Principis cernitur poteſtas, in ferendis legibus, abrogandiſque, ideo paulo uberius, de jure à Principe conſtituto, agere decrevi. Eo nomine veniunt diverſa, quæ generali appellatione *Placita*, & *Conſtitutiones*, appellantur: cum quod Principi placuit, legis habeat vigorem. Ut id tamen accipiendum ſit de tali Principe, qui ſic animum ſuum inſtituit, ut nihil velit, niſi quod juſtum, honeſtum, reipublicæ utile, atque ſalutare: cuique nihil

lubeat,

jubeat, niſi quod liceat. Neque enim eundem aliam à Populo tanquam cauſâ ſecundâ mediante poteſtatem accepiſſe affirmare auſim. Præſertim cum Principem non in alios uſus à Deo cauſâ ſecundâ mediante Reipublicæ datum eſſe teſtetur ipſe Imperator. Et alibi Principis authoritatem à juris dependere auctoritate fateatur. *l. 1. D. de Princ. Conſtit. Arg. l. 2. D eod. l. 4. Cod. de leg. l. 3. Cod. de Teſtam. Nov. 73. Hottom. ad §. 7. Inſt. Jur. Nat. Gent. Civil. Balduin. comm. ad. d §. 7. Zoeſ. D. Conſtit. Princ. Perez. Cod de leg. num. 4.*

3. Nec tamen omnia, quæ Principi placent, licet non iniqua ſint, legis habent vigorem, niſi etiam Principi fuerit animus τὸ κριθὲν ποιεῖν νομοθέτημα. id eſt, quod ei viſum fuerit, ut loquitur Alber. eſſe legem & legis habere vigorem. Adeoque aliquid conſtituerit non temere aut temerarie, verum de conſilii ſui ſententiâ. *l. 8. Cod. de leg. & conſt. Nov. Leon. 92. Cujac. Parat. Cod. eod. Alber. Gent. diſp. de libr. jur. canon. p. mihi. 21. Balduin. loc. ante alleg. Merul. prax. civil. libr. 1. tit. 4 cap. 1. art. 11. 18. & cap. 4. artic. 1. Zyp. Jur. Pontif. Anal. Enarrat. libr. 1. tit. de Conſtit. p. 11. Perez. Cod. de leg. num. 4. Zoeſ. loc. alleg. num. 2. Tulden. tit. Cod. de leg. num. 3.*

4. *Placita* vero Principum ſunt vel generalia, vel ſpecialia, perſonalia appellata, qualia ſunt Privilegia. Illorum ſpecies ſunt,

Decretum, Edictum, Oratio. Mandatum, ſanctio, Reſcripta, ſubſcriptio, Adnotatio, Epiſtola, Pragmatica ſanctio, interlocutio.

5. *Decretum* eſt ſententia definitiva (de interlocutoriâ poſt modum agendum) causâ plene cognitâ & partibus cominus conſtitutis à Principe inter eaſdem lata. Ut ſi in abſentem lata ſit, non ſtatim vim legis generalis obtineat; eo quod magis ob partis contumaciam lata videatur, quam ob cauſæ ipſius iniquitatem. §. 7. *Inſtit. de Jur. Nat. Gent. Civil. l.* 1. *D. de Conſtit. Princ. l.* 3. *D. de his quæ in Teſt. delent. l. ult. in princ. Cod. de legibus. Arg. l. qui repudiatis* 17. *D. de Inoffic. Teſtam. Balduin. in Comm.* §. 7. *v. decrevit. Inſtit. de Jur. Nat Gent. Beſold. Oeconom jur. tit.* 3. *&* 4. *libr.* 1. *D. num.* 10. *in comment. Bocer. Claſſ.* 1. *Pand diſp.* 3. *num.* 22. 23.

6. *Edictum* eſt, quod Princeps ordinarie ſpontaneo motu, quandoque etiam ad ſuggeſtionem alicujus conſtituit, & jubet ut fiat, atque generaliter obſervetur. Quaſi legem aliquam novam, & jus novum conſtitueret. Cujus plerumque initium eſt; *Hâc perpetuâ, vel, hac perpetuò valiturâ lege ſancimus.* Quod etiam *edictum* non ſine conſenſu Senatus (in ſpeciem ſcil. alicujus libertatis) promulgari debet. *l.* 3. *Cod. de leg. & Conſtit. l. hac edictali. Cod. de Secund Nupt.* -- *l.* 8. *Cod. de leg. & conſt. l.* 22. *in fin. Cod. Sacroſ. Eccleſ.*

l. 1.

l. 1. in fin. Cod. Teſtam. Milit. Theoph. ad §. 7. Inſtit. de Jur. Nat. Gent. Hottom. ibidem verſ. per epiſtolam conſtituit. Bocer. claſſ. 1. diſp. Pand. 3. num. 24. Wurmſer. Nucl. jur. contr. libr. 1. tit. 2. contr. 5. num. 5.

7. *Oratio* eſt, (quæ abuſive appellatur *epiſtola* in *l. unic. in fin. D. Offic. Quæſt.*) cum Princeps modeſtius ſe gerens, quod ipſe ſuâ poterat ſtatuere auctoritate, ultro ad Senatum refert, ut quod ſibi placeret, S. C. confirmaretur. Unde etiam in jure celebrantur plurimæ Orationes Principum, Severi, Marci, Antonini, Adriani: quæ etiam quandoque Senatuſ-conſulta appellantur. *l. 8. Cod. de leg. & Conſt. -- l. 1. D. de Rebus eorum qui ſub tut. l. cum hi. D. de Tanſ. l. divus. D. de Serv. fugit. l. pen. D. Ad Sen. Tertull. l. cum hic ſtatus. D. de donat. inter vir. & uxor. l. ſi & rem. §. illud. D. Petit. hæred. -- l. item veniunt. §. pridie. D. eod. Balduin. comm. ad §. 7. verſ. conſtitutiones appellantur. Inſt. de Jur. nat. gent. civil. Cujac. Parat. Cod. de leg. & conſt.*

8. *Mandatum* eſt, vel *conſtitutio* (quod ejus genus, ut huic tanquam ſpeciei ſubjiciatur. in *l. 3. D. colleg. & corpor. l. 4. Cod. inceſt. Nupt.*) vel præceptum, ſive monitum, ſive juſſum (cum pœnâ ſi conjunctum, *ſanctio* appellata. licet quandoque generaliter illa vox accipiatur.) quod certis perſonis à Principe datur, veluti Præfectis & Procuratori-

bus, ut laudabiliter partem ſibi commiſſam poſſint adminiſtrare, etiam illis, qui de negotio aliquo cognoſcunt, vel illud exequuntur. Taleque præceptum vulgo *Commiſsio* appellari ſolet. Neque nunciis, aut miniſtris, aut apparitoribus ſine tali inſtrumento, credi ſolet, aut oportet. §. *ſanctis inſtit. Rer. Diviſ. Gloſſ. ibid. tot. tit. Cod. de Mandat. Princ. l. prohibitum. Cod. jur. fiſc l. neminem. Cod. Re milit. l. Prohibitorias. Cod. diverſ. offic. Nov.* 17. *Cujac. Parat. Cod. mand. Princ. Wurmſer. Nucl. jur. contr. lib.* 1. *tit.* 2. *contr.* 5. 6. *Chriſtin.* 2. *deciſ.* 64. *Baldaxar de Angel. in Prato ſuper* 1. *Cod. tit.* 18. *ad l. ſi quis unica*, ubi & addit limitationes. *vid. Gorn. poſt. adverſ. ad l.* 191 *D. off. Praeſ. p. mihi* 275.

9. Unde etiam Mandatum, quod ex ſcripto non conſtat, nullius eſt momenti, neque aliter probatur, niſi per ſcripturam; ut ſi dicatur ſecretum, non admittatur *l.* 1. *Cod. de Mand. Princ l.* 5. *in fin. D. de Jur. Fiſc. Cujac. loc. cit. Tulden. comm. Cod. eod. num.* 2. *Chriſtin. loc. cit.* Exceptis tamen nonnullis caſubus, quibus & ſine ſcripto mandatum valet. Puta, ſi quis ex ore Principis ſe habere dicat. &c. *l.* 2. *Cod. Mand. Princ. Nov.* 113. *c.* 2. *nov.* 17. Quod etiam in Legatis obtinere cenſet Tuldenus, qui licet *credentiales* litteras, uti loquuntur, exhibere teneantur; non tamen mandatum à Principe ſibi ſcripto traditum proferre, ne arcana Reipublicæ vel

hoſtibus,

hoſtibus, vel aliis pandantur. *Tulden. in Cod. tit. de Mand. Princ. num.* 3. *Per Paſchal. de Legatis. c.* 59. Plura qui cupiat de Mandatis (quæ etiam vulgo *mandamenta* appellantur) deque variis eorundem acceptionibus, diviſionibus, adeat *Mindanum* prolixe diſſerentem *tract. de Proceſſ. libr.* 2. *c.* 1. *& ſeq.*

10. Verum hic anxie quæſitum utrum mandato Principis omnino parendum ſit? Reſpondeo.

1. Si quid mandet ipſe princeps per ſe, aut per ſuos, quod juri civili poſitivo, & mutabili adverſetur, parendum quidem erit de jure, non tamen indiſtincte. Quia ſi quid contra jus partis mandaverit, cenſebitur per ſub & obreptionem impetratum eſſe mandatum. Aut ſi quid durius vel ſeverius juſſerit per 30. dies, qui mandatum exequitur, tenebitur exſpectare, adeoque differre executionem; quod ſperandum ſit bonum Principem de ſeveritate quid eſſe relaxaturum. Neque committitur ſacrilegium, ſi quis non parendo ſimpliciter, velit de æquitate aut iniquitate reſcripti Principalis diſputare; propterea quod id velit ipſe Princeps, cujus auctoritas à juris & legum, maxime fundamentalium, pendet auctoritate. *l.* 2. *l. ult. Cod. Si contr. jus vel util. l.* 2. *Cod. de Pœn. l.* 4. *in fin. Cod. de leg.*

2. Si quid Princeps mandet, quod adverſetur juri naturæ, adeoque ſit turpe, probroſum,

ſum, aut inhoneſtum; quod manifeſte divino juri, divinis legibus, atque juſſionibus ſit contrarium (id quod tamen non facile præſumendum erit, ne ſic ſemet obedientiæ nativæ Principis ſubducendi oriatur occaſio) nemo mortalium unquam Principi auſcultare ejuſque iniquis juſſionibus parere tenebitur. Rationes, quæ id ſuadent ſunt variæ.

1. Quia Princeps jubendo non facit licitum, quod aliter in conſcientiâ foret illicitum, aut vetando illicitum, quod aliter eſſet in ſe licitum, & recte factum. Ut nec juſtum ſit eo ipſo, quod quid mandet, aut injuſtum eo ipſo, quod quid prohibeat. Cumque ad illicitum, vel injuſtum nulla ſit obligatio, etiam nemo parentium tale quid imperanti auſcultare neceſſum habet. Ut injurioſa in Deum vox ſit, tantum auctoritatis Principi tribuere, quaſi ex peccato, ſiquidem ita velit, poſſit facere non peccatum; & vice verſa, ex non peccato peccatum. Et in parato oporteat ſtare ſubditum ut quibuſcunque mandatis, cœcâ quâdam obedientiâ pareat. Ita quippe nihil Principe foret ferocius, ut qui magis eſſet metuendus, quam ipſe Deus. Perſuaſum enim ſibi habet ſubditus, dum juſſui divino paret, illo nihil iniqui contineri. Ut à Deo abſolutam poſtulari obedientiam, ſit æquum bonum; ab homine peccatore, ſit iniquum. Quo magis mirari lubet Profeſſorem Marcſium, pudet

referre,

referre, ſic artem gnatonicam didiciſſe, ut quod minime Theologum decet, ſed aulico Paraſitraſtro in more poſitum eſt, ubique Placentinum velit agere, vix ullibi Veronenſem, & quæcunque dicta & facta potentiorum, ad exemplum & regulam referre. Quinimo quicquid magiſtratus judicat eſſe honeſte factum, id etiam in conſcientiâ & coram Deo licitum atque honeſtum declarare. Vox equidem Antichriſtiana, ne dicam tyrannica è Scholis Reformatorum eliminanda. Ut quæ Magiſtratum Papam facit Romanum, eique in conſcientias hominum tribuit imperium, qui ſecundum Canoniſtas, ex peccato jubendo, facit non peccatum; adeoque diſpenſare atque diſponere valet, contra Moſem, contra Apoſtolos, etiam ipſum Chriſtum.

2. Quia cum populus Principi jurat obedientiam, eâ lege & conditione id agit, ut ſalvum maneat jus ſupremi Moderatoris, qui ſolus poteſt ſalvare & perdere. Et non aliter atque vaſallus dum Seniori fidelitatem præſtat, excipit Imperatorem, aut ſupremum Principem, ita & homo Chriſtianus, excipit Deum, cui ante omnia parendum eſt.

3. Quia quando quid mandat vir Princeps, quod ei fini, quem ipſe propoſitum habet, & habere debet, adverſatur; quoque nomine, quâ lege & conditione in Principem eſt electus; tunc equidem illi nativa

merito

Digitized by Google

merito obedientia deneganda. Id quod accidit, ſi quid mandet, quod divinis præceptis adverſatur.

4. Quia is ordo naturæ & juriſgentium primævi ſervandus eſt, ut ante omnia Deo parendum ſit, dein Patriæ, ſeu Principi, denique Parentibus. *l. 2. D. de Juſt. & jure.* Nam quo finis eſt ulterior, eo melior eſt, & fini ultimo, cætera inferiora tanquam media ſubordinata cenſentur, ut per omnia ei inſervire debeant, nec minimum ab eo declinare? Et non aliter atque qui in familiâ, ſervus vicarius, qui erat in peculio ſervi ordinarii, magis domino parere tenetur, quam ordinario, quod omnes abſolute Patrifamilias ſubſint: ita etiam omnes ſubditi, qui Principi ſubjecti, unà cum principe, ut ſervi Dei Altiſſimi conſiderati, licet diſtinctis aſſignatis officiis, huic maxime parere neceſſum habent; ideoque ad hoc maxime advertere, & eſſe ſolliciti, ne quid agant, aut ne quid fiat in detrimentum aut contumeliam domini ſupremi.

5. Quia cum Princeps limitatum habeat à Deo imperium, non poteſt abſolute quid mandare, ſed reſpectu ſemper habito ad juſſum ſupremi legiſlatoris. Ut ſi quid de jure divino, contra jus divinum diſponat, limites ſui mandati, ſuæque juriſdictionis tranſgrediatur; cui ideo impune non paretur. *l. ult. D. de juriſd.* Neque enim illi Deus legum divinarum

divinarum curam aut diſpoſitionem commiſit; ut eis derogare, vel abrogare non audeat. Quinimo non aliter atque miniſtro, aut apparitori non adhibetur fides niſi proferat mandatum, aut juſſum judicis : ita etiam Principi contra expreſſa mandata divina, ſicque mandatum ſuum excedenti, parendum non eſt. Quo nomine in capitulari *addit. Ludovici Imp. c. 9.* ſcribitur, *leges imperatorum, non eſſe ſupra legem Dei, ſed Subtus.* Ut iis in tantum ſit *parendum, in quantum conſiſtit intra obedientiam Deo debitam; non ſi excedat. Graſwinck. tract. de Prælud juſt. & jur. adverſ. P. Rebellum luſit. p.* 283.

6. Quia ipſi aulici gnatones, aliique poteſtatis abſolutæ propugnatores acerrimi fatentur, Principem mandare non poſſe, quod juri naturæ, id eſt, immediate conſervationi ſui ipſius adverſatur; ut ei mandanti; *abi & ſuſpende te,* parendum non ſit. Multo itaque minus, ſi quid mandet, Dei præcepto, ejuſque cultui adverſum. Cum etiam noſtri Conſervatio, honori atque gloriæ divinæ, tanquam fini ultimato ſit poſtponenda. *d. l. 2. D. juſt. & Jur.* Non aliter atque de jure civili, ſervi tenebantur ſalutem propriam, dominorum ſaluti poſtponere. *l.* 1. §. 28. *D. Silanian. Grot. in Conſult. part.* 3 *juriſc. Batav. conſil.* 325. *n.* 32. omnibus quidem mandatis ſupremorum magiſtratuum *parendum eſſe*, modo non pugnent cum jure naturali.

7. Id

7. Id quod etiam ſuadent monita & exempla virorum piorum, qui aliter Principibus obedientiſſimi, & ad quævis Principum gratiâ ſubeunda pericula, paratiſſimi, jure tamen iis parere detrectarunt, ſi eo ipſo juri divino præjudicatum fuiſſet. Pauca in proſcenium adducam, tam veteris, quam novi teſtamenti libris inſparſa. Non equidem quiſpiam, niſi crudelis, improbaverit factum obſtetricum in Ægypto, quæ impium Regis Pharaonis edictum, de pueris maſculis Hebræorum necandis, negligentes, Deo quam homini parere maluerunt. *Exod. cap.* 1. Nec illaudatum factum Obadiæ aulæ præfecti regis Achab, qui non tantum Dei prophetas contra Tyrannicum ſui Regis & domini mandatum, non interemit, verum in ſpelunca abditos aluit, & ſervavit. 1. *Paralip.* 18. v. 2. 3. Quinimo in novo teſtamento Chriſtus ſalvator, cujus regnum non erat de hoc modo, ut quoad cætera etiam Principibus gentium eſſet ſubjectus, invitis nihilominus & reclamantibus Principibus Sacerdotum, propalam in templo prædicationem euangelii, promovit. *Johan.* c. 9. Quem ſecuti Apoſtoli Primoribus Judæorum morem non geſſerunt, interminantibus & prohibentibus, ne in poſterum Jeſum, ejuſque doctrinam ſalutarem prædicarent: quod in concurſu potius Deo, quam hominibus obediendum eſſe judicarent. *Actor.* 5. v. 29. Plura qui

cupiat

cupiat exempla & axiomata inſpiciat loca ſcripturæ, ſubſequentia, ibidemque commentatores. *Epheſ. c. 6. v. 1. Coloſſ. c. 3. v. 22. 1. Petr. c. 2. v. 17. Exod. c. 1. v. 17. 1. Samuel. c. 22. v. 17. Prov. c. 8. v. 15. & c. 24. v. 21. Daniel. c. 3. v. 12. & ſeqq. Argum. Matth. c. 22. v. 21. vid. Perez. ad tit. Cod. de jure fiſci. Chriſtin vol. 1. deciſ. 130. n. 9. Sichard. de jure Regio Hebræorum c. 4. Theor. 14. p. 104. Daneum Ethic. Chriſtian. libr. 2. c. 12. Ameſ. Medull. Theol. libr. 2. c. 17. n. 54. & ſeq. & in explic. analyt. ad 1. Petr. 2. v. 13. Merul. Prax. civil. libr. 1. tit. 4. c. 2. Carpzov. de Reg. Germanor. c. 1. Althuſ. Polit. c. 18. 19.*

8. Quia hæc noſtra ſententia communis eſt & omni omnino juri congrua; Divino, Civili, Canonico. Primum membrũ ex textibus antea allegatis ſatis eſt manifeſtum, quibus addantur. *Epheſ. c. 6. v. 1. Matth. 26. v. 47. Jud. v. 11. Galat. 1. v. 10.* Et qui locus ex veteri teſtamento non prætereundus eſt. *Michæ c. 6. v. penult.* Ubi propheta Iſraëlitas execratur, & diris devovet, quod ſtatuta & Præcepta Omri cuſtodiviſſent, & conſilia domus Achab, regumque juſſis per omnia licet iniquis paruiſſent. Neque in nov. Teſtam. ullibi excuſantur Herodis ſatellites quod ad ejus juſſum infantes bimulos interemiſſent. *Matt c. 2.*

Alterum vel ex eo conſtat, quod reſcripta Princi-

Principum, contra jus, contra publicam utilitatem impetrata & concepta, nullius ſint momenti; multo minus ſi contra jus Dei ſint obtenta, cui imperatores placere ſtudent. *l.* 2. 3. 4. 7. *Cod. Precibus imper. offer. l.* 4 6. *Cod. Diverſ. reſcript. l. ult. Cod. ſi contra jus vel utilitat. public. nov.* 8. *in init. novell.* 14. *de lenonibus.* Ego in diſſert. *de Princip. Conſtit. n.* 10. 16. Cujuſque imperium ipſi ſequuntur *nov.* 81. *c.* 2. *in fin.* Cujuſque civitates adminiſtrant. *Nov.* 17. *c.* 2. *nov.* 1 3. *in fin.* Quo etiam nomine, ante omnia ſubditos reſpicere volunt Deum ipſum, dein timorem regis, & legis. *Nov.* 17. *c. ult. nov.* 80. *de quæſtor. c.* 1. *in med. collata cum l.* 2. *D. de juſtitiâ & jur.*

Poſtremum membrum colligitur ex variis juris canonici capitulis. Quæ quia inſignia continent è Patrum ſcriptis petita, c. ſi dominus 11. ſupple cauſâ. q. 3. hic inſeram. Si dominus ea jubet, quæ non ſunt adverſa ſcri-„pturis ſanctis, ſubjicitur ſervus domino. „Si vero contraria præcipit, magis obediat „ſpiritus, quam corporis domino. Si bonum „eſt, quod præcipit imperator, & præſes, „jubentis obſequere voluntati: ſi vero ma-„lum, reſponde ei illud de actubus Apoſto-„lorum: obedire oportet Deo magis, quam „hominibus. & Ambroſius c. ſequenti. Ju-„lianus imperator, quamvis eſſet Apoſtata, „habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites:

„quibus

„ quibus cum dicebat, producite aciem pro
„ defenſione reipublicæ, obediebant ei. Cum
„ autem diceret eis, producite arma in Chri-
„ ſtianos, tunc cognoſcebant imperatorem
„ Cœli. & Auguſtin. Can. qui reſiſtit ibid.
Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.
„ Sed quid ſi illud jubeat, quod non debeas
„ facere? Hic ſane contemne poteſtatem ti-
„ mendo poteſtatem. Ipſos humanarum le-
„ gum gradus advertite. Si aliquid juſſerit
„ Curator, nonne faciendum eſt? tamen ſi
„ contra Proconſul jubeat, non utique con-
„ temnis poteſtatem, ſed eligis majori ſer-
„ vire. Nec hinc debet minor iraſci, ſi ma-
„ jor prælata eſt. Rurſus ſi aliquid ipſe pro-
„ conſul jubeat, & aliud jubeat ipſe impera-
„ tor, numquid dubitatur illo contempto, illi
„ eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud impera-
„ tor, aliud Deus, quid judicatis? Sol-
„ ve tributum, eſto mihi in obſequium:
„ recte, ſed non in idolio. In idolio pro-
„ hibet. Quis prohibet? Major poteſtas.
„ Da veniam: tu carcerem, ille gehennam
„ minatur. Hic jam tibi aſſumenda eſt fides
„ tua tanquam ſcutum, in quo poſſis omnia
„ ignita jacula inimici extinguere. &. c. ſe-
„ quenti. Imperatores, ſi in errore eſſent,
„ (quod abſit) præ errore ſuo contra verita-
„ tem leges darent, per quas juſti & proba-
„ rentur, & coronarentur, non faciendo
„ quod illi juberent, quia Deus prohiberet.
„ Sicut

„ Sicut juſſerat Nabuchodonoſor, ut aurea
„ ſtatua adoraretur : quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt.
„ Quando autem imperatores veritatem tenent, pro ipſâ contra errorem jubent.
„ Quod quiſquis contempſerit, ipſe ſibi judicium acquirit. Nam & inter homines
„ pœnas luit & apud Deum ſortem non habebit, quia hoc facere noluit, quod ei per
„ cor regis ipſa veritas juſſit: ſicut ipſe Nabuchodonoſor poſtea miraculo ſalutis trium
„ puerorum commotis, atque mutatus, pro
„ veritate contra errorem edictum propoſuit,
„ ut quicunque blaſphemarent Deum Sidrac, Miſac, & Abdenego, in interitum
„ irent, & domus eorum in diſperſionem.
„ Et non vultis ut aliquid tale contra vos
„ jubeant imperatores Chriſtiani, cum ſciant
„ à vobis in iis quos rebaptizatis, Chriſtum
„ exſufflari. & poſt. Julianus extitit infidelis imperator. Nonne extitit Apoſtata,
„ iniquus, idololatra ? Milites Chriſtiani ſervierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant
„ niſi illum, qui in cœlo erat. Quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent,
„ præponebant illi Deum. Quando autem
„ dicebat, producite aciem, ite contra illam
„ gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant dominum æternum à domino
„ temporali : & tamen ſubditi erant propter
„ dominum

„ dominum æternum etiam domino tempo-„ rali. Plura qui deſideret ſeq. c. perlegat, „ ubi non contemnenda huc facientia occur-„ runt, uti & c. 92. 95.

11. Verum quis quæſierit, an non in ſacrilegii crimen incidant, qui de Principis illâ poteſtate faciendi aliquid vel omittendi, audent diſputare? *per l.* . *Cod. de Crimin. Sacril.*

Reſp. 1. Licet id velint nonnulli divinæ majeſtatis contemptores, adeoque vere Sacrilegi. *l.* 1. *Cod. De Crim. Sacril* qui abſolutæ favent dominationi, nihil tamen promoverint; cum *d. l.* 3. complectatur caſum, qui erat meri juris civilis, adeoque ſuberat citra omne dubium, Principis poteſtati; quales erant munerum largitiones, privilegiorum conceſſiones, aliaque plurima Principi reſervata. Quod ita explicatur in *l.* 5. *Cod. de Diverſ. Reſcript.* Cumque ipſe poterat in quoſcunque, etiam in immerentes conferre dignitates, velle de illo facto Principis non tantum diſputare, ſed etiam eum nolle, cui conceſſa erat à Principe dignitas quæpiam Præfecturæ, pro tali agnoſcere, id ipſum Sacrilegio comparabatur, in *d. l.* 3. *vid. l.* 1. *Cod. Domeſt. & Protector. l.* 1. *Cod. Ut dignit. Ordo Servet. libr.* 12. *Cravett. conſil.* 241. *n.* 20. *Menoch.* 2. *Præſumpt.* 10. *n.* 56.

Reſp. 2. Etſi non facile in diſputationem trahenda ſit Principis poteſtas, in iis, quæ ejuſdem ſpectant juriſdictionem; de quibus

loquuntur. *l* 1. 2. *Cod. Crimin. Sacril. Gloſſ. & DD. ibidem. & in c. litteras de Reſtit. Spoliat.* Attamen in iis, quæ abſolute Principi ſubſunt, de ejuſdem ſcientiâ, voluntate, & intentione diſputare, quia dubitare, fas eſt, *l. ex facto. D. vulg. & Pupill. Subſtit.* Unde etiam omne mandatum, ſemper ſubintellectam hãbet condirionem, ſalvâ juſtitiâ, ſalvo jure cujuſque; quod non ſit præſumendum Principem, à quo jura proficiſcuntur, aliquid velle fieri, quod cum præjudicio vel injuria tertii conjunctum foret. *l. reſcripta. Cod. Prec. imper. offer. Bald. in l.* 1. *D. Princ. conſtit.* Ut, ſi aliquid excedat Principis poteſtatem quale eſt honeſtum, multo magis dubitare liceat, ſi quid Princeps circa illud decreverit, quamvis certa ſit ejus voluntas, & intentio. Cum ſecundum canoniſtas, licet Pontifex, quem tamen magis reverentur, quam ipſum Principem, de plenitudine poteſtatis, & de certâ ſcientiâ quid mandaverit, ut ſi quis pareat, oriretur peccatum, aut ſcandalum, licite poſſit tali mandato non parere. Quinimo tantum abeſſe, ut ſit reprehendendus, qui juſſum Principis iniquum non implet, ut magis etiam ſit laudandus ſcribunt. Imol. & Fel. in c. ſi quando de Reſcript. &, c. cum teneamur, ibique Panormit. de Præbend. apud Schenck à Tautenb. viridar. concluſ. jurid. concl. 37. p. 289.

12. *Reſcriptum* eſt quando princeps ad libellos

bellos præſentium, vel abſentium Magiſtratuum, judicum, privatorum, de jure co ſultantium reſpondet. Nam libellos, litigatores Principi offerebant; quibus ipſe de conſilii ſententiâ reſpondebat. Et Magiſtratus ſi quid obſcurius, vel gravius ad ſe delatum eſſet, per litteras Principem conſulebant; iſque ad ſpeciem ſibi propoſitam reſponſum ſuum mittebat. Quod ſi Princeps per reſcriptum præſentibus reſponderet; libello brevi *Adnotatio* & *Subſcriptio* appellabatur. Si abſentibus & plenius *epiſtola*, ſeu *litteræ*. Quod ſi idem reſcriptum, non de privatorum negotiis, ſed officiorum, corporum, ordinum, & collegiorum cauſis, etiam nonnunquam ad judicum relationem, de conſilii ſententiâ, diligentius & diffuſius emiſſum fuiſſet, Sic etiam ut preces illi reſcripto, quod tamen in cæteris obtinebat, inſertæ non fuiſſent. *Pragmatica ſanctio*, indigetabatur. *l.* 19. § 9. *D loc. cond. l.* 17. *D. de Jur. Patron.* -- *l.* 3. *D. de Teſtibus. l.* 1. *D. de Re jud. l.* 7. *D. de in integr. Reſtit. l.* 4. *in fin. princ. D. leg. commiſſ.* -- *l.* 1. §. 1. *D. Conſtit. Princip. l.* 9. §. 5. *D. jur. & fact. ignor. l.* 4. *Cod. loc. cond.* -- *l.* 7. §. 1. *Cod. de diverſ. Reſcript. & Pragm. Sanct. Donell.* 1. *comment. cap.* 9. *Cujac. Parat. Cod. Diverſ. Reſcript. in fin. & ad l.* 2. *Cod. de pet. bon. ſubl. libr.* 10. *vid. & l.* 4. *Cod. de domeſt. & Protect. libr.* 12. Additamenta *ad Azon. in ſummâ Cod. de div. reſcript.*

Digitized by Google

13. Ubi quæſitum, num quivis Principi valeat ſupplicare? Reſp. Servi non poſſunt, niſi in crimine majeſtatis, vel pro neceſſitate domini. *l. ñ. Cod. de Prec. imper. offer. l. nullus ad l. Jul. Majeſtat.* Forte etiam ſi quando à dominis opprimuntur in caſu *l. 2. D. qui ſui vel alien. jur.* Rei vero Majeſtatis ſupplicare non poterunt. Quia nemo pro illis intercedit. *l. 5. §. 2. Cod. Ad l. Jul. majeſt.* Hæretici tamen poterunt. *l. ult. §, ſed quia gremium Cod. Sum. trinit.* Minor à Principe damnatus, nonniſi raro. *C. minor. autem. §. ſi autem. D. Minor.*

14. Quæſitum amplius, utrum Principis reſcriptum habuerit olim vigorem legis univerſalis? Reſp. Quia ſæpiſſime reſcriptum, ob particularem aliquam circumſtantiam datur, & ad ſpeciem certam eſt accomodatum, non videtur generalem continere juris definitionem. Ut meo judicio fuerit adductum vel allegatum ſicut hodie ſolent res judicatæ in ſupremis curiis, allegari. Niſi tamen Princeps voluerit, illud eſſe ad inſtar regulæ univerſalis, vel in codicem relatum vim legis acceperit. Ut tamen in ratione interpretandi multũ differat à communi lege. Unde argumentum à contrario ſenſu non facile in reſcripto admittendum. *l. 2. Cod. de leg. & Conſtit. Cujac. Parat. Cod eod. Duaren. de condict. indeb. c 6. & ad tit. Cod. Si in Comm. eademque cauſâ. Donell. 20. comm. 5. & de*

Digitized by Google

& de Pignor. c. 6. Vultej. diſcept. c. 10. Hilli ger. ad Donell. 1. comment cap. 9. Beſold oiconom. jur. tit. 3. 4. libr. 1. D. ad num. 10. in fin. Zoeſ. D. de Conſtit. Princ. num. 4.

15. Idem quod de *Interlocutione* dicendum; quando ſcil. Princeps, quaſi inter aliud agendum, & loquendum, quid conſtituit. Quod enim in uno negotio ita prolatum, nihil præjudicat in commune. Non magis atq; res judicata aliis nec nocet nec prodeſt. Niſi tamen ſatis appareat, hanc fuiſſe Principis voluntatem, ut ab omnibus in poſterum idem ſervaretur. Forte, ſi ad ſenatum miſſa, ut confirmaretur; ſi edicti vocabulo nuncupata, ſi juſſa divulgari; ſi inter alias ejus conſtitutiones relata. *l. 1. D. de Conſtit. Princ. l. 2. 3. Cod. de leg. & Conſtit l. 9. §. 3. D. Quod. Met. cauſ. Balduin. ad §. 7. verſ. decrevit. Inſtit. de jur. nat. Gent. & civil. Duaren. tit. D. de Princ. conſt. vid. Fabrum in Ration. ad d. l. 1. Connan. 1. Comm. 16. num. 3. Pacium 1. Enant. queſt. 17. Zoeſ. D. de Princ. conſt. num. 7. Wurmſer. Nucl. jur. contr. libr. 1. tit. 2. contr. 5. à num 9. uſque ad finem.*

16. Non omne tamen reſcriptum à Principe impetratum valet; ne quidem reſpectu illius negotii quod concernit. Quid ſi enim per ſub & obreptionem ſit impetratum? Id eſt, tacitâ veritate, vel expreſſo mendacio. Unde ut excutiatur reſcripti veritas, etiam à Sententia, interveniente reſcripto lata,

Digitized by Google

provocari poterit. Et ſi judex non admiſerit precum argui falſitatem; in decem libras auri punitur. Niſi tamen aliquo expreſſo, vel non expreſſo, Princeps nihilominus reſcriptum in gratiam partis conceſſiſſet. Quod quale ſit à arbitrio judicis eſt relinquendum, qui id ipſum ſuo committet examini. Unde etiam reſcriptum à judice ratum eſt habendum, aut improbandum, quod moribus appellatur reſcripti *interinatio l. 1. D. de Natal. Reſtit l. pen. Cod. Si contr. jus vel util. public. l. 7. Cod. de diverſ. Reſcript. & Pragm. Sanct. — Nov. 153. l. 1. §. 1. D. de Appell. l. 1. Cod. Eod. — l. 1. Cod. ſi contr. jus vel util. public. — l. puniri. Cod. eod. Cravett. conſil. 592. num. 7. 8. Chriſtin. 2. deciſ. 22.*

17. Hinc quæſitum, utrum ſurreptio; vel obreptio in beneficiis aut Privilegiis, vitiet gratiam eorum quæ impetrata? Reſp. quod ita. Mendax enim precator careat impetratis oportet; & qui in leges impingit, earum beneficio cenſetur indignus. Id quod in tantum verum eſt, ut qui per mendacium privilegium obtinuit, lege Cornel. de falſ. teneatur. *l. 2. l. 5. Cod ſi contr. jus vel util. Public. Argum. l. 37. in fin. D. de Minor l. ſi quis D. Ad l. Cornel. de falſ. Tiraquell. de Pœn. cauſ. 44. Schurf. conſil. 7. cent. 2. allegati apud Tulden. Cod. Si contr. jus num. 5. ibidemque alii. Chriſtin. 2. deciſ. 23. Baldax. de Angel. in Prato ſuper tit. Cod. Si contr. jus. ad l. 1. 2. & ſeq. Barboſ. in coll. ad d. l. 5. vid.*

Martin.

Digitized by Google

Martin.Uran.Tom.1.conſil.19.num.44.& ſeq.

18. Non inſuper valet reſcriptum,ſi contra jus Dei, apoſtolorum, prophetarum indulgeatur. Quia leges ſuperiores tollere non poteſt. Cum alias ſit proditum,quod par pari imperare non poſſit. Multo minus ſuperiori. Amplius, ſi contra jus vel utilitatem publicam ſit impetratum. Unde ſi fiſco ſit damnoſum ; primæ juſſioni obſecundare non oportet, ſed exſpectanda ſecunda. Niſi tamen eo non lædatur aut parum lædatur jus tertii aut crimen condonetur; aut inopi debitori moratoria præſcriptio concedatur, aut expreſſâ clauſulâ Princeps deroget juri communi;de quo caſulatius in ſequentibus. Si pro peremptoriâ impetratum ſit præſcriptione. Si Principis ſubnotationem , diem & conſulem non habeat. Sacræ tamen juſſiones forte tantum deſiderant ſubſcriptionem Quæſtoris palatii. Et generalia itidem reſcripta valent, in juris corpus relata, licet diem & conſulem adſcriptum non habeant. *l. nam magiſtratus. D Recept.Arbitr. l. illæ. §. tempeſtivum. D. Trebellian. l. 14. D. Manum. l. 18. §. 1. D. Manum. vind. l. 3. l. 7. Cod. de Prec. Imper. offer. l. ult. Cod. ſi contr. jus vel util Publ.-- d. l. 2. 4. 7. Cod. de Precibus imper. offer. -- l. 4. 6. Cod. de diverſ. Reſcript.-- Nov. 114.-- Juſtinian. in conſt. de Novell. Cod. fac. & de Juſtin. Cod. Conf. Bald. ad l. 3. Cod de Prec. imper. offer. Auth ut nulli judicum.*

dicum. §. *& hoc vero jubemus. Azo in ſum. Cod. ſi contr. jus. & Cod de Prec. imper. offer. n. 6. Cujac. Parat. Cod. de Diverſ. Reſcript. Bocer. claß. 1. Diſp. 3, P. Perez. Cod. Si contra jus. Chriſtin. 2. deciſ. 22. 23. Barboſ. Collect. Cod. ad l. 1. de Prec. Imp. off. Et ad l. 6. Cod. de diverſ. Reſcript. Hillig. ad Donell. 1. c. 9.*

19. Non itidem valet reſcriptum, ſi lite pendente vel poſt ſententiam ſit petitum, Niſi tamen adhoc ipſum, ut edantur acta vel ſententia, vel alius aſſocietur judex, vel ut terminetur cauſa, vel ut citius ipſa finiatur. *Auth. in medio litis non fieri ſacras. form.* §. *ſuper hoc. nov.* 131. Non etiam, Si non ſit adjecta clauſula: *ſi preces veritate nitantur.* Quod tamen jure canonico ſecus eſt. Si forte per reſcriptum juſtitiæ ſecundum leges adminiſtratio tardetur, impediaturve. Generaliter non valet reſcriptum, ſi impetratum ſuper eo quod oblatis precibus poſtulari prohibitum eſt. Niſi tamen prohibitionis in reſcripto facta ſit mentio: *tit. Cod. ut lite pend. Nov.* 82. 113. -- *d. Nov.* 113. *c.* 1. *l.* 2. *Cod. ut lit. Pend.* -- *l. ult. Cod. de Diverſ. Reſcript.* -- *c.* 2. *de Reſcript. d. Nov.* 113. -- *l* 2. *l.* 5. *Cod. de Prec. Imp. offer.* -- *Cujac. Parat. Cod. hic. Cravett. conſil.* 502. *num.* 60. *& ſeq. & conſil.* 730. *Teßaur. quæſt. Forenſ. libr.* 1. *quæſt.* 4. *Chriſtin. vol.* 2. *deciſ.* 70. *num.* 3. 4. *Tulden. Cod. Si contr. jus. num* 4. *& ult. Baldaxar de Angel. Pratum ſuper Cod. libr.* 1. *tit.* 23. *ad. L.* 7.

20. Po-

Digitized by Google

20. Ponatur reſcriptum aliquod eſſe impetratum, idque nihil vitii contineat, an exemplum ejuſdem, an potius authenticum judici inſinuandum erit? Reſp. Poſterius affirmandum. Quid ſi poſt annum demum intentatum aut inſinuatum? Nihil obſtabit, quo minus effectum ſortiatur. Secus quam obtinere volunt de jure canonico: Quo etiam diſtinguunt inter reſcriptum gratiæ & juſtitiæ. Quaſi illud ſit perpetuum, hoc annale. *l. 3. Cod. de diverſ. Reſcript. l. 1. Cod. de fid. inſtrum. Chriſtin. vol. 2. Deciſ. 78. num. 5. 6. ubi addit limitationes. Baldaxar de Angel. in Prato ad tit. Cod. de Reſcript. l. 3. -- l. 2. Cod. de Diverſ. Reſcrip. l. 2. & ult. Cod. Theodoſ. eod. Perez. Cod. hic. num. 4. Tulden. tit. Cod. eod. num. 2. Qui diſſenſum inter jus can. & civ. non admittit. vid. Chriſtin. 2. vol. Deciſ. 78. 79. Bald. de Angel. libr. all. ad l. 2. Cod. de Reſcript. -- Chriſtin. d. vol. deciſ. 77. num. 2. 3. & deciſ. 80. num. 3. & 6. Faber Cod. libr. 1, tit. 12. defin. 6. Perez. loc. cit.*

21. Quid ſi tamen error aliquis in litteris, in conſtructione ſit commiſſus, anne reſcriptum vitiabitur? Reſp. Si reſcriptum in ſubſtantialibus ſit legitimum, modicus ille defectus non tollet reſcripti effectum, aut adferet ullum impedimentum. Idem quod dicendum, ſi vitium aliquod occurrat in latinitate. Præſertim cum reſcripta plurima imperatorum ante aliquot ſecula illatinas contineant

tineant phraſes & voces. Idem quod affirmandum de errore in nomine commiſſo. *c.* 11. *de fid. inſtrum. & Gloſſ. ibid. Arg. l.* 1. §. 5. *D. de Hered. inſtit. l.* 7. *l.* 15. *l.* 24. *Cod. de Teſtam. l.* 21. *Cod. de leg. Arg. dd. ll. D. D. apud. Panorm. in c. ad audientiam manifeſtum. v. de Reſcript. all apud Specham. diſſ. centur.* 1. *Quæſt. jur.* 75. -- *Argum l. antepen. D. de judic. l. in vindicationibus D. de Cont. Empt. l. ſi in nomine D. verb. Oblig. Martin. Uran. tom.* 1. *conſil.* 19. *num.* 32. *& ſeqq. Panciroll. Theſaur. var. lection c.* 77. *vid. Prolixè Alciat. in Praxi juris utriuſque de Except. adverſus Reſcript. p.* 109. *uſque ad p.* 118

22. Quid ſi reſcriptum Principis ſit generale, an extendetur ad ea, quæ vel juri communi non congruenter, vel difficulter Princeps concederet? Reſpondeo, quia hoc reſpectu reſcriptum Principis cenſetur eſſe ſtricti juris, verba ejus preſſe ſequemur, nec ea ſupplicationi convenienter extendemus, ne quidem ex identitate rationis. Præſertim ſi ille caſus, in quo eadem ſubeſt ratio, jure communi ſit deciſus. *l.* 1. §. 5. & 10. 16. *D. ne quid in loc. Public. Bald. in l.* 1. *D. Conſtit. Princ. Alciat.* 3. *Præſumpt.* 12. *Cravett. conſil.* 172. *num.* 2. & 4. & *conſ.* 387. & *conſ.* 591. *num.* 77. & *conſ.* 730. *Faber in Cod. tit. de leg. & Conſtit. Barboſ. coll. in l.* 6. *Cod. de Precibus Imper. offer. num.* 3. & 5.

Gote-

Digitized by Google

Gotefred. in comment. ad d. l. 1. *Christin. volum.* 2. *deciſ.* 22. *num.* 4. *ibidemque alii. Tulden. ad tit. Cod. ſi contr. jus vel util. Public. num.* 3.

23. Verum poteritne Princeps ſuo reſcripto jus tertio quæſitum auferre? Reſpondeo, non id poterit nec debebit, & ideo non præſumitur hoc voluiſſe, ut reſcriptum quo tale quid imperatum, non valeat. Quo tamen caſu ratio ſtatus, publica utilitas hoc ſuadet, ſic id facere debebit, ut quod incommodi, vel damni ſuo reſcripto dedit, vel intulit, alio quo commodo, vel utilitate compenſet. §. *ult. verſ. nec cuiquam hominum. Inſtit. de his qui ſui vel alien. jur. l.* 2. §. 5. *&* 10. *D. Ne quid in loc. publ. l. id quod noſtrum. D. de Reg. jur. l.* 2. 3. & 7. *Cod. de Prec. imper. offer. l.* 12. *Cod. Rei vindic. l.* 10. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. ult. Cod. de locat. Prad. civil. libr.* 11. 1. *Reg. cap.* 21. *per totum. Ezechiel. cap.* 45. *verſ.* 7. *& ſeq.* -- *l.* 11. *D. de Evict. l. Antiochenſium. D. de Privil. credit. l. ſi quando. l. ſi adificia. Cod. de Oper Public.* -- *l.* 15. §. 2. *D. de Rei vindic. l. venditor.* 13. §. *ſi conſtat. D. comm. Prad. l.* 14. §. 1. *ibique Gothefred. D. Quemad. Servit amitt. l.* 2. *Cod. in quibus cauſ. ſerv. pro pram. libert. Cravett. conſil.* 172. *num.* 3. *& conſil.* 592. *Fachin.* 8. *contr.* 63. *Gail.* 2. *obſ.* 55. *Mynſ.* 5. *obſ.* 97. *Vaſq. illuſtr. contr.* 5. *n.* 8. *Pinell. in init. Rubr. Cod. Reſc. vend. c.* 2. *n.* 1. *Anton. Ga-*

briel. tract. de jure quaſ. nemini aufer. Chriſtin. 1. deciſ 130. Tholoſ. de Republic. libr. 6. cap. 13. num. 35. Faber diſtincte in Cod. libr. 1. tit. 11. def. 1. ibidemque alii, & tit. 12. deſin. 1. Bronchorſt. Miſc. contr. 1. aſſert. 1. Zoeſ. D. de in jus voc. num. 16. & D. de Donat. num. 26. & 112. alios qui quærit, adeat Barboſ. in coll. Cod. l. 2. de Prec. imper. offer. num. 22. & ad l. 6. Cod. ſi contr. jus. Rauchbar. quæſt. jur. civil. & Saxonici. part. 2. q. 111

CAPUT III.

1. *Quid ſit* jus Singulare?
2. *Quid ſint Privilegia?*
3. *Diſtinctio inter privilegia, & jus ſingulare.*
4. *Quis poſſit introducere privilegia?*
5. *Quod generum ſint privilegia?*
6. *Alia ſecundum DD. proponitur diviſio.*
7. *Si ſenſus privilegii dubius, quale præſumendum?*
8. *Quomodo privilegia interpretanda?*
9. *Quis ea interpretetur?*
10. *Quibus modis finiantur?*
11. 12. 13. 14. 15. *An revocatione.*
16. *An ſuadente publicâ utilitate?*

17. *An*

17. *An ſi quis privilegio indignus?*
18. 19. *An ſucceſſor Principis revocare poterit privilegium?*

1. SUpereſt ut de Principum Placitis, ſeu conſtitutionibus perſonalibus agatur; quæ privilegia ſunt appellata. *l. 1. D. Princ. conſtit.*

Quorum natura ut innoteſcat magis, *juris Singularis* habenda ratio, idque ad oppoſitionem juris univerſalis, quod eſt commune præceptum, communis vitæ regula, de eo, quod ut plurimum, quod ſæpe, quod frequenter evenit. *l. 2.* 3. 4. *D. de legibus.* Ut *jus Singulare* dicatur, quod ſub communi præcepto collocatum non eſt, ab eodem exemptum, quodque non ad omnes, aut in imperio, aut civitate ſpectat, verum ad certas tantum perſonas refertur, aut certis in caſubus & cauſis obtinet.

Quale *jus ſingulare* contra rationem juris introductum eſſe dicitur. *l. 14. D. de legibus.* in quantum in ſpeciem rationi juris communis contradicit; in quantum alicui regulæ juris receptæ & ratione quadam in commune collectæ.

Cæterum generaliter conſideratum univerſo juri non contradicit, multo minus rationi naturali; verum illud ſupplet in eâ parte, ſalvâ tamen juſtitiâ ad quam porrigi aut extendi communis regula non poteſt. Ut

etiamnum univerſo juri ſit convenientiſſimum, vel ratione æquitatis, vel ſingularis auxilii, vel liberalitatis, vel indulti, vel diſpenſationis, vel gratiæ, vel humanitatis, vel clementiæ, vel utilitatis &c. *l.* 16. *D. de leg. l.* 15. *D. de Rebus credit. l* 3. *D. offic. Prætor. l.* 11. *in init. D. de Pœn. l. ad beſtias* 31. *D. eod.* §. 7. *Inſtit. Teſtam ordin.*

Unde facile colligitur, quod *jus ſingulare* nihil aliud ſit, quam quod contra communes juris civilis regulas, propter aliquam vel naturalis æquitatis, vel humanitatis, vel utilitatis &c. rationem, certâ ſupremorum auctoritate eſt introductum. *d. l.* 16. *d. l.* 31. *l. ult. Cod. ſi Contra jus vel public. util.* Parum ab hâc definitione *diſſentit Oldendorp. in tractatulo de jure ſingulari recte defin.*

2. Hoc *jus ſingulare*, ſic definitum, ſub ſe complectitur Privilegia, quæ nihil aliud ſignant, in ſtrictiori ſenſu, quam jus aliquod Singulare ſeu proprium ſeu ſpeciale, quo alicui aliqua prærogativa contra jus commune tribuitur. *l.* 2. *D. de Conſtit. Princ. l.* 2. *l.* 3. *l.* 11. *D. de Teſtam. Milit. l.* 46. *D. de contrah. Empt. l.* 37. *D. de jur. fiſc. l.* 1. *D. Ad Munic. l.* 2. *l.* 3. *Cod. de leg. l. pen. Cod. de Prec. imper. offer. l.* 9. *Cod. de Teſtam. Azo in ſumma Cod. de jur. fiſc. libr.* 10. *Acacius Enenck. Bar. de Priv. jur. Civ. l.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. *& ſeqq.*

3. Et ſi vero Privilegia dicantur jus ſingu-

arc

lare, intellige ſingulorum legem; cum quæ nos *ſingulare* veteres *privata* appellaverint. *Gell* 10. *Mod. Attic.* 20. *Et Iſidor. in origin.* Sintq; leges privatorum, quaſi privatæ leges. Etiam privilegia inde dicta, quod in privatos feratur lex. Non tamen cum jure ſingulari, de quo in *l.*14. *D. de legibus*. erunt confundenda. Etſi enim omne privilegium ſit jus ſingulare: non omne tamē jus ſingulare ſtatim dicendum erit Privilegium; à quo differt, ut genus à ſpecie. Illud enim, ſupple jus ſingulare paululum aberrat à regulis juris; ſic introductam, propter aliquam vel utilitatem, vel humanitatem, uti dictum; non autem tantum lex in res ſingulas, aut perſonas conſtituta. Hoc, puta Privilegium, eſt contra jus commune, etiam in ſingulas res vel perſonas latū. Illud non ſemper complectitur favorem, aut beneficium, quo res vel perſona afficitur. Hoc complectitur, ſi in bonam partem vocem accipiamus. Ita jus ſingulare eſt, quod tabularius pupillo ſtipuletur. Ut in caſu abſentiæ gladii poteſtas demandari poſſit nec tamen Privilegium eſt. *l.* 2. *D. Rem. pupill. Salc. l.* 18. *D. Adopt. l.* 1. §. 15. *D. Mag. conv.* -- *l.* 1. *D. off. ejus cui mand. juriſd.* Quibus adjiciatur caſus. *l.* 1. *Cod.* Si *per vim* vel *alio modo Abſent. poſſ. l.* 8. *d. l.* 14. *l.* 15. *D. de legibus. Gotefred. in notis ibid. vid. Cujac.* 15 *obſ.* 8. Ut hic erret *Oldendorp. in tract. de jur. ſing.* & plerique cum eo, qui jus ſin-

Digitized by Google

ſingulare cum Privilegio confundunt.

4. Atque hæc de ipſâ definitione. Cauſa eſt, qui Privilegia introducere poteſt. Is autem ea poteſt, introducere, qui legem ſeu jus univerſale facere poteſt. Unde imperator in imperio, rex in regno, princeps in principatu, & libera reſpublica, intra ſuum territorium, quatenus legem facere poteſt. Quinimo qui ſuo modo jus aliquod facere poteſt, etiam aliquod poterit largiri privilegium. Et quo modo jus aliquod introducitur, etiam eodem modo introducetur privilegiũ. Puta conſuetudine & præſcriptione. Omnia enim quo jure contracta, quo ligata, etiam diſſolvuntur. Ejuſque eſt actionem dare, cujus eſt denegare; abſolvere, cujus condemnare; leges abrogare, cujus ponere: nec enim debet cui quod plus eſt licet, quod minus eſt non licere. *l.* 53. *l.* 100. *D. Reg. Jur. l.* 102. §. 37. *l.* 21. *D. eod. l.* 1. *l. fin.* §. *pen. & ult. Cod. de leg.* -- *l.* 6. *in fin. Cod. Adv. diverſ. jud. l.* 1. *in Princ. D. Unde Cogn. l.* 15. *D. de Curat. furioſ. l. Antiochenſium. D. de Privil. Creditor. l.* 9. *Cod. de Decur. libr.* 10. -- *l.* 4. §. *ingreſſurum. l.* 7. *D. offic. proc. l.* 3. §. *ductus. D. de Aqu. Quot. & æstiv. l.* 35. *in Princ. Cod. Epiſc. & Cler. l.* 4. *Cod. de Aquaductum. libr.* 11. *l.* 58. *Cod. de Decur. libr.* 10. *Bartol. & Bald. ad l. omnes populi D. de juſt. & jur. Alex. vol.* 4. *conſ.* 124. *Cravett. conſil.* 135. *Georg. Acacius Enenck. libr. all. cap.* 4.

5. Privi-

5. Privilegia dividit *Choppin. in. tract. de Priv. Ruſt.* ab objecto, quod alia ſint rerum, alia perſonarum, alia actionum. Communiſſima diviſio eſt in realia & perſonalia. Meo judicio alia erunt realia, alia perſonalia, alia mixta. Quam etiam diviſionem admittit *Oldendorp. tractatulo de jur. ſingul.* Illa, quæ rem ſequuntur, nec extincta perſonâ extinguuntur. Iſta, quæ cum perſoná amittuntur, ideoque nec ad alium dominum, aut hæredem, vel qualemcunq; ſucceſſorem tranſeunt: extendi tamen nonnunquam de perſonâ in perſonam per interpretationem poſſunt. Hæc ſunt, quæ quidem tranſitoria, non tamen ad quamcunque perſonam; qualia ſunt, quæ hæredibus proſunt, non autem fidejuſſoribus vel quæ certis proſunt hæredibus, non indiſtinctè omnibus. *l. etiam filios.* 18. *in Princ. D. Salut. Matrim. l.* 3. §. 1. *& in fin. & l. ſeq. D. de Cenſ. l.* 3. *l.* 4. *D. jur. immun. l.* 9. §. *iſtæ fere D. de Pæn. l.* 1. §. *antepen. D. Aqua quot. & æſtiv l.* 63. §. 1. *D. pro ſoc. l.* 42. *D. Admin. Tutor. l.* 196. *D. de Reg. jur. l.* 28. §. 1. *D. de re judic. l.* 3. *D. de Veter. l. Divo. Cod. de Quæſt. l.* 3. *l.* 5. *Cod. de Pæn. vid. Menoch.* 3. *Præſumpt.* 103. *Petr. Fabrum. Comm. ad Reg. jur.* 196.

6, Alii ſecundum DD. aliter partiuntur privilegia, quod quædam perpetuam, & conſtantem habeant rationem in naturâ poſitam, ut perpetuo competant iis, quibus data,

Digitized by Google

ta, qualia in corpore juris incluſa eſſe dicuntur: ut ſunt privilegia Minoris ætatis, Vellejani, &c. Quædam vero ſint momentanea, nec cauſam habeant perpetuam, nec eo animo conceſſa, ut perpetui manerent: qualia, ſi forte alicui veniam delicti concedat Princeps, aut ædificandi in publico jus largiatur. *l.* 1. *D. Conſt. Princip. l.* 2. §. 10. 16. *D. Ne quid in loc. public.* Eſt & alia diviſio, quod quædam privilegia ſint mera, quædam mixta. Illa, quæ ſi impetrata, in totum jus aliquod ſingulare continent. Hæc quæ etiam præter jus ſingulare, aliquid juris communis continent, quales ſunt nundinæ, ſeu magni mercatus. *Alciat.* 5. *Reſponſ.* 23. *n.* 6.

7. Inſignis autem hic ventilanda quæſtio: Si in diplomate (quod eſt inſtrumentum beneficium in aliquem collatum, continens) verba ſint obſcura, quale præſumendum ſit eſſe privilegium, reale, perſonale, an mixtum? Reſp. Si privilegium ſit odioſum, præſumetur eſſe perſonale; ne extendatur nimiū. Ut ſi reipublicæ ſit damnoſum, quandoque ſi pœnam contineat, ſi juris tertii deminutionem. Si vero favorabile cenſebitur eſſe reale. *Arg. l.* 3. *D. de Conſtit. Princ. l* 2. §. 10. 16. *D. Ne quid in loc. Public. Tuſc. concluſ. Pract. Privilegium an reale an perſonale præſumatur.* 741. *& ſeqq. G. Everh. conſ.* 21. *n.* 8.

8. Neque hæc erit prætereunda: quomodo privilegia ſint interpretanda? Reſpondeo, & ſi re-

reſpectu Principis pleniſſime ſint interpretanda; id quod de largitionibus potiſſimum intelligunt: perſonarum tamen ratione ſtricte ſunt interpretanda, præſertim ſi tendant in præjudicium alicujus tertii; *d. l.* 2. §. 10. 16. *l.* 15. *l.* 16. *D. de legibus. l.* 21. *D. Teſtam. Milit. l.* 162. *D. de Reg. jur. l.* 3. *Cod, de legibus l. ſi quando Cod. Teſtam. inoff. Bartol. in l.* 1. *in Princ. Cod. de leg. Tiraq. de Retract.* § 1. *gloß.* 9. *n.* 184. *Cujac* 1. *feud.* 12. *Alciat. de Præſ. Reg.* 3. *Præſ.* 11. *Gail.* 2. *obſ.* 1. *Gramm. deciſ.* 103. *n.* 136. *& n.* 240. *apud Baldaxar de Angel. ad l.* 5. *Cod. de Advoc. diverſ. judic. vid. Acacium Enenck. Baronem. libr.* 2. *de Privil. cap.* 4. *Matth. Weſemb. conſil.* 201. *diſſ. Jacob. Benius tract. de Privil. doctorum, cum ibidem allegatis part.* 3. *quæſt.* 100. *ſeu ultimâ, ubi Statuit.* Privilegia juris doctoribus conceſſa, late eſſe interpretanda.

9. Verum cujus erit privilegia interpretari? Reſp. Uti pari paſſu ambulant legem ferre, eamque interpretari; ita ejus ſolius erit privilegia interpretari, qui ea conceſſit. Itaque Princeps à ſe data privilegia, ſolus interpretabitur. *l. ex facto.* & ibi *Jaſon, ac Zaſius. n.* 6. *D. de vulg. & pupill. Subſt. l. ult. Cod. de legibus. l.* 191. *D. de Reg. jur. Coler. Conſ.* 56. *num.* 77. *Gail.* 1. *obſ.* 1. *num.* 13. *Zanger de Except. part.* 2. *c.* 1. *num.* 138. *Mindan.* 1. *Proceſſ. c.* 20. *in Princ.*

Digitized by Google

Princ. Beſold. delib. jur. ad l. 1. *P. p. mihi* 34.

10. Finiuntur autem Privilegia variis modis. Vel quia ſe indignum beneficio præbuit, delinquendo privilegiatus. Vel quia perſona cui conceſſum Privilegium perſonale in fata conceſſit. aut ſi reale, res interiit. Vel quia Privilegio renunciavit. Vel quia conditio aut tempus extitit ad quod conceſſũ eſt. Vel quia fortius privilegium illud elidit. Vel quia incipit eſſe iniquum, & lædit enormius. Vel quia aliquis non uſus eſt privilegio ſi modo utendi facultas ſeſe obtulerit. Vel quia actum privilegio contrarium fecit, aut admiſit, ſine proteſtatione. Vel quia abuſus quis eſt privilegio, adeoque meretur illud amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate. Vel quia per ſub & obreptionem fuerat impetratum, dum fallitur Principis conſcientia. Vel quia cauſa finalis, ob quam conceſſum eſt privilegium ceſſat. Ceſſante quippe cauſâ, ceſſat effectus. Vel quia revocatio Privilegii publicam reſpicit utilitatem, quæ privatorum commodis eſt præferenda. *Arg.* §. *pen. inſt. Uſufr. l.* 4. §. 2. *D. quod cum eo qui in alien. l.* 37. *D. interd. releg. l.* 37. *in fin. D. de Minor. l. ult. Cod. de Revoc. donat. l.* 1. *verſ. omnem enim. Cod Ubi Senator. l.* 1. *Cod. hæretic.* -- *l.* 196. *D de Reg. jur. Arg.* §. *pen. inſt. de Uſufr.* -- *l. pen. Cod. de Pact. l.* 41. *D. de Minor. l.* 52. §. *ult. D. de Pact. l.* 1. *Cod. qui ætat. vel prof. ſe excuſ.* -- *l.* 11. *in fin.*

Digitized by Google

fin. & l. ſeq. D. de Minor. l. 8. in Princ. D. de Excuſ. l. 50. D. de fidejuſſ. -- l. 43. in Princ. D. vulg. & Pupill. Subſt. l. 2. §. ſi quis à Princ. D. Ne quid in loc. public. -- l. 1. D. de Nundinis l. licitatio. §. earum. D. de Public. vect. l. 6. D. de Servit. Urban. l. Attilicinus. D. Serv. Ruſt. -- l. fin. in fin. D. de Veteran. l. 1. Cod. de his qui ſponte mun. public. ſub. Arg. l. qui tacet. D. de Reg. jur. Arg. §. 3. v. non utendo per modum. Inſtit. Uſufr. l. 4. §. 2. D. quod cum eo qui in alien. poteſt. C. privilegium 11 q. 3. -- l. 2. l. 4. cum ſeqq. Cod. Si *contra jus, vel utilit. Public. l. 1. l. fin. Cod. l. Jul. de Ambitu. -- l. Titia. §. uſuras. D. legat. 2. l. ex facto. D. vulgar. Pupill. Subſt. -- l. 5. D. de Decret. ab ordine faciend. l. item ſi 15. §. 1. & 2. D. Rei vindic. Gabriel 6. Recept. Sent. tit. de jur. immun. concluſ. 1. Zaſ. in l. ſi Stichum. n. 16. D. verb. oblig. Georg. Everh. conſ. 19. n 16. vol. 2. Gail. 2 obſerv. 56. 60. 61. Covarr. 2. Reſol. 9 Menoch. arbitr. libr. 2. cent. 2. caſ. 382. & cent. 3. caſ. 201. & 6. Præſumpt. 41. n. 11. Tiraquell. Tract. ceſſante cauſ. p. 1. n. 203. 210, Modeſt. Piſtor. q. 149. in addit. p. 4. Fachin. 8. contr. 63. Bender. de Reviſ. concluſ. 22. n 12.* Prolixe & accuratè *Rauchbar. quæſt. jur. 11. part. 2. Beſold. delib jur. ex libr. 1. Pand. in fin. de Privil. p. mihi 48. Perez. Cod. de Nund. & Mercat. n. 3 in fin. Amaj. in l. 1. Cod. eod.*

11. Finiuntur denique privilegia, revocatione,

tione ejus, à quo conceſſa, vel illius ſucceſſoris. Unde quæſitum ſatis anxie, an beneficium à Principe alicui conceſſum ad vitam, ad placitum revocari poſſit, ſaltem à Principis ſucceſſore? Variis adhibitis diſtinctionibus quæſtionem terminant doctores. 1. Aut enim conceſſum eſt ſubdito, aut non ſubdito. Si huic; ad lubitum non revocabitur. Quod jus quæſitum per Principem illi nequeat auferri, qui Principis territorio non ſubeſt. *Arg. l. fin. D. de juriſd. Peregrin. de jur. fiſc. libr. n.* 28, 29. Niſi tamen in Principis verſetur *territorio. Beſold. ad libr.* 1. *Pand. de Privil. p. mihi* 31.

12. Si conceſſum ſubdito, & quidem in præjudicium publici boni, nullius cenſebitur eſſe momenti, adeoque nec eget revocatione. *l.* 2. 4. *Cod. ſi contr. jus vel util. l. qui immunitatem. Cod. Muner. Patrim. l. quicquid Cod. de Vectig. l. actores. Cod. Exact. Tribut.* Quod ſi conceſſum ſubdito non tamen in reipublicæ detrimentum tendat; aut erit conceſſum omnino gratis, atque ſimpliciter, non additâ temporis determinatione & revocari poterit. *Arg. l. nihil tam naturale. D. de Reg. jur. l.* 25. *§. vis major. D. locat. Bald. in l.* 2. *v. item nota. Cod. de Servit. & aqua.*

13. Hâc tamen adhibitâ cautelâ, ne id fiat frequenter aut facile. Tum quod nemo Principali auctoritate ſit circumſcribendus. *l.* 1. *Cod. qui ven. ætat. impetr.* Tum quod

in

in privatis reprehendatur levitas donationem revocare cupientibus. *l. 7. D. Cond. ob cauſ. dat.* Ut in Principe dictorum & factorum conſtantia deſideretur. *l inter claras. Cod. de Summo. Trinit.* Cujus os divinum. *l. 1. §. 6. Cod. veter. jur. Enucl.* Cujus dicta, conſulta cœleſtia. *l. 8. Cod. off. Rect. Prov.* Cujus vox, oraculum. *l. 4. Cod. de leg.* & conſtitutiones ſacratiſſimæ, ſtatuta cœleſtia. *l. 10. Cod. Muril.* §. 2. *Inſtit. Proœm.*

14. Aut conceſſum eſt beneficium propter bene merita, adeoque ad modum donationis, neque illud unquam revocari oportet. Et quod ex cauſâ antecedente id contulerit ad quod naturę lege tenebatur, cui etiam ſubjectus eſt Princeps. Et quod donatio jure gentium introducta, irrevocabilem obtineat vigorem. *l. 1. §. 1. D. Precar. l. 27. D. Donat. Clarus 4. ſent 3. Gail. 1. obſ. 60. n. 17. Menoch. 3 Præſumt. 103. & conſil. libr. 4. conſ. 307. 378.*

15. Aut conceſſum eſt per modum contractus, forte innominati, do ut des, nec etiam revocari poterit. Quod Princeps naturæ & Gentium jure, ſolutam non habeat poteſtatem, adeoque ex contractu & conventione, adinſtar privati, ſi non arctius, obligetur. *l. 1. §. 1. D. de offic. Procur. Cæſar. l. Cæſar. D. de Publican. l. pen. Cod. de donat. inter vir. & uxor. l. bene à Zenone. Cod. Quadrienn. Præſcript. l. 2. Cod. ne fiſc. rem quam vendidit libr.*

libr. 10 l. prædia. Cod. locat Præd. civil. Cæp. 11. *Maſtrill, deciſ. 203. n. 9. p. 3. Gabri. comm. concl 5. n. 1. Peregrin. de jur. fiſci. lib 1. tit. 3. n. 45. Zoeſ. D. de leg n. 37. Rauch. quæſt. jur. 11. p. 2. Roman. ſing. 463. apud Bald. de Angel. ad l. 5. Cod. Adv. diver. judicio.*

Unde non poterit revocari beneficium, quod alicui conceſſum eſt propter aliquod officium, quod in ſe ſuſcepit. Neque enim cuiquam ſuum officium debebit eſſe damnoſum. *l. 7 D. Teſtam. Quemadm. Aperiunt.* Et qui quid revocat, quod quis in ſe ſuſcepit, is tenetur ei qui illud ſuſcepit, ad id quod ejus intereſt. *Arg. l. 8. §. Mandati. D. Mandat.* Si ſcilicet per eum non ſtet, quo minus illud impleat. *Arg. l. 38. D. locat. Perez. Cod Prof. & Medic. n. 9. Gail. 1. obſ. 44. n. 12. poſt Minſ. cent. 3. obſ. 7. & 8. vid. Sand. 5. deciſ. tit. 10. def. 2.*

16. Si tamen publica utilitas ſuadeat revocandum eſſe privilegium, id revocari poterit, ut tamen in ejus locum ſuccedat id quod intereſt. *Arg. § 2. Inſtit. qui ſui vel alien. jur. Zoeſ. D. de conſtit. Princ. n. 30. & Felin. ibid.*

17. Uti impune revocabitur, ſi quiſpiam indignum ſe geſſerit illo beneficio, adeoque pro ingrato habeatur. Nam ceſſante cauſâ finali beneficii, & ipſum ceſſabit: *Arg. l. ult. Cod. de Revocand donat. l. Athletæ. §. 1. l. Geome-*

ometra. l. & item. D. Excuſ. Tutor. Gaeel. tract. de jur. quaſi non aufer. Bronchorſt. cant. 1. aſſ. 1. . 3.

Unde non aliter munus vel officium in a- quem collatum revocari poterit, quam ſi qui illud ſuſceperat, ſe inutilem ſuâ culpâ, ſe illi muneri præbuerit. *l. 2. Cod. de Prof. & Med. libr. 10. l. 8. Cod. eod. l. 6. §. 4. D. Excuſ. Tutor. l. 12. Cod. de Dignit. libr. 12.*

18. Quod ſi de ſucceſſore Principis loquamur, immodica largitio privilegiorum à Prædeceſſore facta, præſertim eorum, quæ publicum jus ſpectant, omnino revocari poterit. Quod talis immoderata & irrationabilis conceſſio, reipublicæ ſit perniciosa. *c. ipſa pietas 23. q. 4. Bald. in l. jubemus. Cod. Sacroſ. Eccleſ.*

19. Cæterum, in caſibus præcedentibus, quod privilegia publicâ nitantur fide, ſucceſſores, eodem modo, quo anteceſſores obſtringuntur. *Enench. 3. de Priv. c. 7. c. 11. n. 44. n. 60. Beſold. delib. jur. ex libr. 1. D. p. 34. 43. de Privil. vid. Vaz. Barboſ. Axiom. litt. G. n. 15. Raubar. quaſt. jur. 11. part. 11. ibique varios.*

SECTIO TERTIA.

CAPUT PRIMUM.

1. *Quotuplex jus non ſcriptum?*
2. *Utrum conſuetudinem familia introducat?*
3. 4. *Quid ſit conſuetudo, Et quot eiuſdem requiſita.*
5. *Utrum in Scripturam poſſit referri?*
6. *Utrum conſuetudini adverſetur error?*
7. *Utrum conſuetudo debeat eſſe juſta?*
8. *Cuius ſit arbitrari de iniquitate, in foro Soli?*
9. *Cujus de injuſtitiâ conſuetudinis, in foro Poli?*
10. 11. *Quot actus requirantur ad introducendam conſuetudinem?*
12. *An id Judicis arbitrio ſit relinquendum?*
13. *An ad introducendam conſuetudinem requirantur actus judiciales?*
14. 15. 16. 17. 18. 19. *Quot anni requirantur ad introducendam conſuetudinem?*

20. *Quid*

20. *Quid ſi de conſuetudine dubitetur, an per unum Doctorem eximium ea probanda?*

21. *An per teſtes? An per inſtrumenta?*

22. *Quænam requirantur, ut per teſtes probetur conſuetudo?*

23. *Promptiſſime per actus iudiciales probatur.*

1. POſt explicationem ſpecierum ſeu partium juris ſcripti & quidem univerſalis, ſequeretur jus ſcriptum particulare, verum quoniam ad ejus intellectum pleniorem multum confert juris non ſcripti cognitio, non immerito id erit præmittendum. Eſtque jus non ſcriptum duplex; conſuetudo, vel æquitas. Utrumque jus ſine ſanctione. Illud eſt, quod uſus ſeu mores approbarunt: ut à moribus diſtinguatur, tanquam effectus à cauſâ. Mores quippe ſunt actus, jus conſuetudinarium introducentes. Quod jus conſuetudinarium, vel univerſale, quale populus introducit; vel ſingulare, quod eſt alicujus Municipii, vel collegii. *AZo in ſumm. Cod. hic.*

2. Cujus occaſione DD. inquirunt num ab unâ familiâ induci poſſit conſuetudo? Reſpondeo, non videtur id affirmandum, niſi

forte in quantum populus unius familiæ conſuetudinem, pro juſtâ recipit, & admittit. *Arg. l.* 32. *D. de legibus.* Quo nomine affirmativam ſententiam variis in caſubus amplectuntur varii allegati apud *Gabriel. Comm. opinion. libr. 6. de conſuet. concluſ. 5. cum limit.*

3. Poterit conſuetudo in genere definiri, per jus non ſcriptum, quod diuturni mores, tacito conſenſum utentium accedente, comprobarunt. Ut ad conſuetudinem requirantur quatuor. 1. Ut adſit tacitus utentium conſenſus. 2. Ut ſit juſta & rationabilis. 3. Ut ſit uſus, ſeu mores. 4. Ut mores diuturni, ſeu longus uſus. *Giurba in proœm. conſuet. Senatus Meſſanienſ. part. 1. num. 12. 13. 14. 15. & ſeqq.*

4. Primum requiſitum erat tacitus utentium conſenſus; qualis eſt regulariter conſenſus univerſi populi, vel plerorumque, qui moraliter pro omnium conſenſu habetur. *l. 32. D. legibus l. 3. D. quod cujuſque univ. nomine, l. 2. D. decret. ab ordine fac.* Ratio eſt, quia omne jus conſenſu latum eſt; etiam quod ipſa neceſſitas introduxit; quale Senatuſconſultum, & reſponſa juriſconſultorum. Nec intereſt tacitus adſit conſenſus, an expreſſus. Ut quemadmodum in jure ſcripto deſideratur expreſſus, ſimul & ſemel manifeſtatus, in conſuetudine ſufficiat tacitus; id eſt, qui re ipſâ, ſeu ipſo facto paulatim tamen & pedetentim declaretur. *l. 32. l. 39. D. de legibus.*

bus. Nec obſt. l. pen. D. eod. Ubi jus quod conſenſus introduxit juri conſuetudinario opponitur. Ibi quippe per conſenſum intelligit JC. expreſſum illum conſenſum, quo lex aut Plebiſcitum, introducitur; ad oppoſitionē conſenſus taciti, in conſuetudine deſiderati. *d. l. 32. Faber. in §. ex non ſcripto. num. 7. Inſtit. de jure natur. Gent. & civil. Mynſ. 6. obſ. 41. n. 11. 12. Speckh. cent. 1. quaſt. 73. n. 30. 31.*

5. Nec tamen per conſenſum tacitum excluditur ſcriptura, quæ recte ex poſt-facto ſuperadvenit, ut eo certior ſit conſuetudo, & omnibus atque ſingulis innoteſcat magis; neque ignorantia poſſit allegari. *Argum. l. 2. §. 4. verb. quas in tabulas. D. de Origin. jur. l. jubemus 29. §. ſed ne aliqua. Cod. de Teſtament. l. cum res 12. Cod. Probat. vid. Merul. libr. 1. Prax. civil. tit. 5. cap. 1.*

Ut eo ipſo nomen conſuetudinis non amittat; quod ſcriptura primordialem actus naturam non immutet, aut immutare queat; tantum ad hoc inventa, ut quod factum eſt, probetur melius. *l. 4. in fin. D. Pignor. & hypothec. Arg. conſuet. feudor. Vivius decis. 240. n. 7. Bartol. Bald. Alexand. in l. 1. 2. D. vulg. ſubſtit. Cavall. quaſt. comm. 357. n. 11. apud Giurbam in conſuet. Senatus Meſſanienſ. Proœm. part. 1. num. 25. Anton. Pichard. ad. §. 10. Inſtit. Teſtam. ordin. n. 23.*

6. Ut tamen per conſenſum excludatur

 error,

Digitized by Google

error, qui conſenſui adverſatur. *l.* 15. *D. de juriſdict. l.* 39. *D. de legibus. Neque obſt. d. l.* 39. Quia ibidem ſatis manifeſtum eſt, erroneam illam conſuetudinem, jus non facere, quod negetur ea in aliis ſimilibus obtinere. Id quod tamen obtinet in iis, quæ habent vim legis. *l.* 12. *D. de legibus*. Præterquam, quod conſuetudo erronea, ibidem abuſive appelletur conſuetudo; ut quæ non eſt juris, ſed facti; qualem conſuetudinem etiam merito brutis animantibus tribueris. *Arg.* §. *Pavorum.* 15. *Inſtit. de Rerum diviſ. Zoeſ. D. de offic. Prætor.* Habet tamen varias limitationes *Gabriel. comm. opinion. libr.* 1. *de Probat. concluſ.* 8. *ibique varii.*

7. 2. Requiſitum conſuetudinis erat, ut ſit juſta & rationabilis. Quod enim non ratione ſed errore introductum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet. *l.* 39. *D. de leg. c. ult. de conſuet. Zaſius poſt Bartol. in l.* 32. *D. de leg. Mynſing.* 6. *obſerv.* 41. *Gail.* 2. *obſ.* 31. *n.* 11: *Speckhan. cent.* 1. *quæſt.* 73. *num.* 2. *Bernegg. in Tacit. German. & Agricol. quæſt. ult.*

Et quemadmodum nulla lex vigorem legis habet, niſi quæ juſta, & honeſta, & rationi congrua, quod ratio ſit legis anima: Ita nec conſuetudo, quæ legem imitatur, erit conſuetudo, niſi honeſta, & juri naturali atque divino congrua; ſaltem quæ ei non adverſantur, contineat. *Arg. l.* 15. *D. Condit. inſtit.*

Stit. c.erit. diſt. 4. *c. illas. diſt.* 15. *Menoch.* 2. *Præſumpt.* 1. *Tuſc.* litt. *l. concluſ.* 252. *n.* 1. & *Menoch. de Arbitr.* 82. *num.* 17. *Fontanell. de Pact. Anten. Clauſ.* 4. *gloſ.* 19. *p.* 2. *n.* 14. *DD. ad c. fin. de Conſuet. Boër. deciſ.* 132. *Vivius deciſ.* 66. *n.* 6.

Ut ſi iniqua, quia peccati nutritiva, citiſſime ſit evellenda, ne in vim privilegii aut juris, uti moris eſt, ab impiis trahatur. *c. mala. diſtinct.* 8.

8. Si tamen de iniquitate conſuetudinis inciderit dubium, & quidem in foro ſoli, ea res arbitrio judicis erit committenda. Scilicet, ſi videatur bonis moribus aut legibus civilibus adverſari. *vid. Menoch. arbitr. judic.* 2. *caſ.* 82. *Gail.* 2. *obſ.* 31. *n.* 13. *Bacchov. ad Treutl. diſp.* 1. *theſ.* 9. *n.* 9. *litt. B.*

9. Quod ſi quæratur de conſuetudine, num licita in conſcientiâ, num juri naturæ ac divino repugnet, penes eccleſiaſticas perſonas, congruenter ſacræ Scripturæ regulis, vel legi morali, tanquam cujuſdam caſus conſcientiæ erit deciſio; ut quibus eloquia Dei ſunt concredita, non judicibus terrenis; quorum mandata, aut juſſa, ad naturalia & divina Præcepta ſeſe non extendunt. *Argum. l.* 3. *D. quæ ſent. ſine appell. reſcind. vid. Gloſſ. in c. cum tanto. de Conſuet. Benedict. de Capra in Tom. Comm. opin. v. conſuet. p.* 812.

10. 3. Requiſitum conſuetudinis erat. uſus, ſeu mores utentium, quibus deſignatur

requiri actus, ut introducatur conſuetudo. Verum an unus actus ſuffecerit? Reſp. Quod non: cum ne quidem actus à Principe geſtus, introducat jus; multo minus à Privatis. *init. inſtit. Codicil. Arg. l 3. in fin. D. Offic Prætor.*

11. An duo aut tres? Non equidem. Cum enim frequenter fieri dicatur, quod iterum atque *ſæpius*, fit. Et illis vocibus plus quam ſecundus & tertius actus deſignetur. Etiam in conſuetudine, plures quam duos aut tres deſiderabimus. Quinimo licet adſit ſubditi cujuſdam actus, & inſuper actus Principis, penes quem ſumma poteſtas eſt, non tamen ex illis duobus actibus conſuetudo formari poterit. *init. inſtit. de Codicill. l. 1. Cod. quæ ſit long. conſuet. l. 3. Cod. de Ædif. Privat. l. 15. §. 22. D. injur.*

12. Ut judicis arbitrio totum hoc negotium ſit committendum. *Arg. l. 1. D. de Jur. Deliberãdi. Bartol. in l. 2. Cod. quæ ſit long. conſ. Duaren. ad tit. de legibus c. 11. Connan. 1. Comm. 10. n. 6. Mynſ. 6. obſ. 41. num. 7. Bronchorſt. 1. Enant. 8. Bocerus claſſ. 1. diſp. 4. theſ. 10. Speckhan. loc. antea citat. n. 28. Zoeſ. D. de leg. n. 6. & ſeqq. vid. Deſſel. in notis ad Zoeſ. inſtit. de Jure Natural. Gent. & Civil. n. 27.*

Nec *obſt. l. 12. D. de Teſtibus.* Quod in probationibus judicialibus ſufficiant duo teſtes, ubi frequentia, aut turba teſtium non requiritur. Uti nec obſt. *l. 3. Cod. Epiſc. Audient.* Quia loquitur de aſſuefactione u-

nius

nius hominis, non totius univerſitatis. *Neque c. abbas. de v. ſignif.* Quia tantum loquitur narrative. *Cujac.* 20. *obſ.* 1. Niſi quis ad objecta loca reſpondere malit cum Azon. *in ſumm. Cod. quæ ſit long. conſ.* duos actus tum ſufficere, cum populo aut Præſidi poſt duos actus placuit, ſic judicandum eſſe in poſterum. *diſſ. ex parte Wurmſer. nucleo juris controv. libr.* 1. *tit.* 2. *contr.* 8. Et DD. admittunt actus duos, quando ſunt notorii, & ſæpius non occurrunt aliter plures. *Franciſc. Vivius Comm. opin. libr.* 2. *opin.* 75.

13. Verum deſiderabuntur ne plures actus judiciales, ut introducatur conſuetudo? Neg.

Nam quæ ſolo conſenſu introducuntur, & quidem conſenſu tacito, pæſentiam judicis non deſiderant. Et quemadmodum lex introducitur, citra actum judiciarium, ita & conſuetudo, quæ legem imitatur. Ut ſi in lege de conſenſu conſtet per actum extra judicium, ſic etiam de conſenſu in conſuetudine conſtare poſſit. Ne dicam, quod in ll. ubi potiſſimum de conſuetudine agitur, nulla fiat mentio judiciarii actus, & conſuetudo à re judicatâ, ſeparetur. Ut extra judicialibus abunde conſtituatur conſuetudo. Modo ne ſint difformes. *l.* 28. *D. de Tranſ. Arg. l. ſi ſervus plurium.* 50 §. *fin. D. de leg.* 1. *l.* 18. §. 1. 2. *D. Inſtruct. vel inſtrum. legat. l.* 32. *l.* 38. *D. de legibus. Cujac.* 10. *obſ.* 1. *Cevall. comm. contr. comm. q.* 358. *Baptiſta Villalob. in tom.*

comm. opin. libr. 3. v. conſuet. per Panormit. in c. fin. n. 16. de conſuet. quem refert. Tiraq. de Primog. q. 91. in fin. Johan. Fichardus tom. comm. opin. libr. 3. v. conſuet: Franciſc. Turſanus d. l. 3. v. conſuetudo. ubi Cravett. conſ. 55. n. 6. Burſat. 1. conſil. 50. n. 27. Poſt eos. Mævius ad Lubec. quæſt. Prælim. 7. n. 19. Mynſ. 6. obſerv. 41. in fin. Gail. 2. obſ. 31. n. 8. in fin. Speckhan. centur. 1. q. 73. n. 29. Bronchorſt. 1. Enant. 10. Beſold. oecon. jur. tit. 3. 4. libr. 1. Pand. n. 32. -- Bartol. in l. 2. Cod. quæ ſit long Conſuet. Mynſ 6. obſ. 42. n. 3.

14. 4. Ad conſuetudinem introducendam requiſitum erat longus uſus, mores diuturni, ut conſuetudo ſit inveterata. Neque enim ſubito enaſcitur, verum temporis aliquem requirit decurſum. Hinc quæſitum, quod anni ad conſuetudinem introducendam ſint neceſſarii?

15. Sunt qui totidem annos requirunt, quot neceſſario requiſiti ad præſcriptionem, quam cum ipſa conſuetudine confundunt. *c. fin. de conſuet.* cum tamen manifeſtum ſit, præſcriptionem tantum jus acquirere præſcribenti, conſuetudinem omnibus in republicâ; eam eſſe juris ſtrictiſſimi, hanc ad ſimilia trahi & extendi; adverſus eam minorem juvari, in quantum eâ non læditur; adverſus hanc eundem non juvari, adeoque per conſuetudinem lædi poſſe. Negari tamen non poterit,

poterit, quin quandoque præſcriptione, vel tempore immemoriali, vetuſtate, introducatur conſuetudo, adverſus leges ſuperioris. *c. ult. de conſuet.*

16. Sunt qui requirunt decennium, quod illud tempus longum in jure appelletur *Azo in ſumm. Cod. hic. Alexand. conſil. 132. viſa. vol. 1. Matth. Gribald. tom. Comm. opin. libr. 3. verb. Conſuet. & Franciſc. Vivius comm. opin. ibidem, & Baptiſt. Villalob. poſt gloſſ. in l. de quibus D. leg. & in l. 2. Cod. quæ ſit long. conſuet. Benedict. de Capra tom. comm. opin. verb. conſuetudo. p. 812. ibique varii. Donell. 1. comm. 10.*

17. Sunt qui tempus immemoriale deſiderant *per l. 2. §. 1. D. Aquâ, & Aquâ Pluv. ibique DD.*

18. Sunt qui ſpatium centum annorum flagitant, quod hoc ſit longiſſimum tempus vitæ humanæ. *l. 56. D. Uſufr. vid. Mynſ. 6. obſ. 41. n. 9. 10.* ibi *Bartol. Bald.* alioſque allegatos.

19 Verum dicendum quantumcunque ſufficere tempus, modo pluralis ſit annorum numerus, cum actuum pluralitate & uniformitate conjunctus. Ut tamen hoc totum arbitrio judicis relictum malim. *Arg. l. 1. D. jure deliber. Giurba ad Conſuet. Meſſanienſ. in Proœm. p. 1. n. 14. poſt varios. Menoch. de Arbitr. caſ. 83 n. 6. Coraſ. in l. 32. D de Legibus. Fachin. 7. cont. 67. Bronch. 1. Enant. 8. Bocerus, Claſſ. 1. diſp. 4. theſſ. 7. Spechan.* cent.

Digitized by Google

cent. 1. *quæſt.* 73. *n.* 22. *Beſold. oicon. jur. ad tit.* 3. 4. *libr.* 1. *Pand. num.* 13. *Wurmſer. Nucl. juris contr, libr.* 1. *tit.* 2. *controv.* 8.

20. Quid ſi dubitetur de conſuetudine, num ſit in uſu, aut viridi obſervantiâ, uti loquuntur, quâ ratione, quove modo ea veniat probanda, multum diſquiritur?

Sunt qui ſtatuunt, per teſtimonium viri excellentis conſuetudinem probari poſſe; adeoque doctori eximio aſſerenti de conſuetudine fidem eſſe adhibendam, ſecundum *Decianum conſil.* 559. *apud Matth. Gribald. in tom. comm. opin. libr.* 3. *verb. conſuetudo.* ubi plures.

Sunt qui dicto gloſſæ ſtandum exiſtumant, ſi de conſuetudine teſtetur.

21. Verum dicendum, & ſi negandum non ſit multum tribui hic poſſe practico eximio, in tantum, ut ſi quis ex peritioribus ſuo exemplo præeat, id agendo, quod conſuetudini allegatæ, conforme eſt, ſit præſumendum pro conſuetudine; (exemplo Labeonis, qui cum feciſſet codicillos, nulli dubium amplius erat, quin Codicilli optimo jure admitterentur. *Init. Inſtit. de Codicill.*) Quia tamen conſuetudinem obtinere, vel non obtinere, non juris eſt, ſed facti, quod non præſumitur, verum probatur, *l.* 10. *Cod. Non Numer. Pecun.* Nec unius dicto creditur, licet honoris præfulgeat dignitate, *l.* 9. §. 1. *Cod. de Teſtibus.* Et quæ facti ſunt, etiam

iam fallunt prudentiſſimos *l* 2. *D. de jur. & fact. ignorant.* Conſuetudinem non niſi per inſtrumenta vel teſtes ad minimum duos, ſi non per turbam, eſſe probandam. *Arg. l. quod ſi nolit. §. qui aſſidua.* 6. *D. Ædil. Edict. l.* 12. *D. de Teſtibus. Bartol. ad l. de quibus. D. de leg. Alexander ſibi contrarius & alii apud Baptiſt. Villalobos tom. comm. opinion. libr.* 3. *verb. conſuet. Et Comm. opin. ex conſil. Marini Socini junior. verb. conſuet. M. Gribald. Commun. opinion.* 3. *verb. conſuet. Eman. Soares Theſaur. Recept. Sent. verb. conſuet.* ubi alii. *Martin. Uran.* 1. *conſil.* 12. *Schrader. de feud. p.* 1. *q.* 1. *n.* 5. *Treutl. part.* 1. *diſp.* 1. *theſſ.* 9. ibique *Bacchov. Wurmſer. Nucl. jur. contr. libr.* 1. *tit.* 2. *num.* 27. Diſſ. *Jaſon. ad l.* 32. *D. de legibus. n.* 8. *Gabriel. Comm. opinion. tit. de Probat. Concluſ* 4. *apud Uranium.* 1. *Conſil.* 12. *Mynſing. cent.* 5. *obſ.* 96. *n.* 2. 3. ibidemque alii. *Vid. Alderan. Maſcard. de interpr. Statutor. concl.* 3. *n.* 53. *Anton. Matth. de Subhaſtat. libr.* 1. *cap.* 10. *num.* 34.

22. Ut autem per teſtes conſuetudo accurate probetur, quatuor à DD. requiruntur. Ut teſtes deponant de viſu actus, cujus conſuetudo allegatur. Quia plus eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem. *Arg. §. fin. Inſtit. de Gradibus Cognat.* Ut de frequentiâ actuum deponant; quod per dicta ſuperius, plures actus de ſiderentur. Ut tem-

poris diuturnitatem interveniſſe deponant, quo conſuetudo dicatur longa. Denique edoceant actus varios ſic adhibitos fuiſſe, ut appareat, ſaltem conſenſum populi tacitum interveniſſe; ne clam commiſſum conſuetudinem operetur. *Decian. Conſil.* 483. *Matth. Gribald. in tom. comm. Opinion. libr.* 3. *verb. conſuetudo. Emanuel Soares Theſaur. Recept. Sent. verb. conſuetudo*, ibique varii.

23. Licet autem probetur ſufficienter conſuetudo, ſi de actubus extrajudicialibus ſatis conſtet; promptiſſime tamen per actus judiciales (non tamen ſi ſemel intra 10. vel 20. annos ita fuerit judicatum) eandem probari, ſtatuendum erit. Quo refero *l.* 34. *D. de legibus, l.* 1. *Cod. Quæ ſit long. Conſuet. Azo in ſumm. Cod. hic. ſigno* *. *in additamentis. & litt. a. in addit. Coraſ. ad l.* 34. *de legibus.*

CAPUT II.

1. *Conſuetudo non minores habet vires, quam lex.*
2. *Interpretatur legem, contractum, teſtamentum, &c.*
3. *Quandoque à lege ſuperatur.*
4. *Quandoque legem ſuperat.*

1 SImulac vero introducta & probata eſt conſue-

conſuetudo, ſecundum requiſita jam expoſita, varios illa, & eximios parit effectus. Et quidem in genere, non minores habet vires, quam ipſa lex. Neque enim aliter differt à lege, quam tacitum ab expreſſo. Cujus hâc in parte virtus eſt pariformis. Unde etiam Conſuetudo in loco ubi viget, lex & jus civile appellatur. Atque æqualem cum lege interpretationem & extenſionem ad caſus ſimiles admittit: contra quam volunt nonnulli, qui eam ſtricti juris ſtatuunt. Hinc etiam, qui transgreſſor eſt conſuetudinis, legis eſt contemptor. Et judicare juſſus, cum clauſulâ, ſecundum leges, juxta conſuetudinem judicare tenetur. *l. 32. in fin. D. de legibus. c. in his diſtinct. 11. Panormit. in c. cum nobis. in 10. notabili. de Elect. Gail. 1. obſ. 36. n 13. Roland. à Valle conſil. 3. n. 9. vol. 2. Claud. Cantiunc. in locis legalibus à veroſimili. p. 118. Beſold. Oicon. jur. libr. 1. D. tit. 4. n. 28. Vid. Chriſtin. vol. 4. deciſ. 412. Wurmſerum Nucleo juris contr. libr. 1. tit. 2. contr. 12.*

2. In ſpecie autem conſuetudo legis verba ambigua interpretatur. *l. 37. de legibus. c. cum dilectus. de Conſuet.* Et ſi non appareat, quid actum ſit inter contrahentes, ad eam, tanquam rerum ac verborum dominam recurritur. *l. Semper in ſtipulationibus. D. Reg. jur.* Quam etiam in perſcrutandâ teſtatoris voluntate, *l. 50. §. 3. D. leg. 1. l. 18. §.*

3. in

3. *in fin. D. Inſtruct. vel. inſtrum.* In exquirendâ rationum fide, *l.* 9. §. 2. *in fin. D. Edend.* In probandi modo, aliiſque multis in caſibus, ſequimur *l.* 3. *in fin. D. de Teſtibus. l.* 6. *D. de Evict Johann. Bellonus in Tom. Comm. Opin. libr.* 3. *verb. conſuet. p.* 63. *Pacius* 1. *Enant.* 15. *Mantic. de Tacit. & Ambig. libr.* 3. *tit.* 9. *Connan.* 6. *comm.* 3. *Claud. Cantiunc. Topic. legal. loc. cit.*

3. Verum an conſuetudo à lege ſuperari poterit, tanquam à fortiori? Reſpondeo, ſi lex ſit conſuetudine poſterior, eique directè adverſetur, conſuetudo ſuperari poterit, adeoque per legem abrogari. Conſtitutiones quippe tempore poſteriores potiores ſunt hiſce, quæ ipſas anteceſſerunt. *l. fin. D. Princip. Conſtit. Vid. Hillig. ad Donell.* 1. *comm.* 10. *litt. i.*

Cenſent nihilominus DD. de jure canonum, legem generalem poſteriorem non tollere ſpecialem loci conſuetudinem, cui adverſatur. Quaſi præſumendum ſit legiſlatorem particulares ignoraſſe conſuetudines, adeoque nec eas revocaſſe. *c.* 1. *de conſtit. in* 6. *Bartol. ad l.* 32. *D. de legibus, lect.* 2. *n.* 5. *Covarr.* 3. *variar. Reſol. cap.* 13. *n.* 4. *circa fin.*

4. An vice verſâ unquam conſuetudo vincet legem? Reſpondeo, ſi generalis ſit conſuetudo, & lege poſterior, eam ſuperabit: lex enim poſterior abrogat priorem, ſi,

ſi

ſit prioris correctoria. Conſuetudinem autem cum lege parificari, antea fuit demonſtratum. Ut conſuetudo ejuſdem cum lege ſit efficaciæ. *l.* 32. *l.* 35. *D. de legibus. l. fin. D. Princ. Conſtit. libr.* 2. *feudor. tit.* 1. §. *legum autem.* Neque obſt. *l.* 3. §. *divus. D. Sepulchr. Violat.* Quia non agit de conſuetudine adverſus legem introductâ, verum de ſtatuto municipali, cui nulla vis eſt tributa ſuperandæ Principis conſtitutioni. Non itidem obſt. *l.* 2. *Cod. Quæ ſit longa Conſuet.* Quia d. Conſt. locum habet in ſtatu Monarchico; in quo uti nulla eſt populi auctoritas, ita nulla vis conſuetudinis, per tacitum populi conſenſum introducendæ. *l.* 32. *in fin. D. de legibus.* Cum ſolius ſit Principis in regno leges ferre, easque interpretari. *l. fin. Cod. de legibus. Tiraquell. de jure Primogenit q.* 16. *Cravett. conſil.* 969. *n.* 3. *Bacchov. ad Treutl. diſp.* 1. *theſ.* 9. *litt. D.* Si tamen Princeps conſuetudinem ſuâ confirmaverit auctoritate, eamque ſervari voluerit, tum demum ea vim legis in principatu eſt habitura, ut tamen ad jus ſcriptum ſeu ſancitum referri debeat; quod ſimul & ſemel ab eo comprobatum, qui legis ſanciendæ habet poteſtatem. Quo referri meo judicio non incongrue poterunt, Conſuetudines juſſu Ducis Albani collectæ, & in nonnullis Belgii Provinciis receptæ. *Arg. Init. Inſtit. de Codicill. l.* 1. *Cod. Quæ ſit long. conſuet. l.* 3. *Cod. eod. vid. Balduin. in*

Conſtant.

Conſtant. ad fin. Lyclam. Membr. Eclog. 117. *Cujac.* 5. *obſ.* 2. *Donell.* 1. *comm.* 10. *Broncborſt.* 1. *Enant.* 9. *Beſold. Oicon. jur. tit.* 3. & 4. *libr.* 1. *Pand. n.* 29, 30. -- *Vid. de Conſuet. Ducis Albani. Radelant. deciſ. cur. Ultraj.* 31. *Neoſtad. deciſ. Supremi Senat.* 10.

SECT. III. CAP. III.

1. *Quid ſit ſtylus Curiæ?*
2. *Qui probetur ſtylus Curiæ?*
3. *Quandoque ſtylus Curiæ ſpectat litis deciſoria.*

1. QUandoquidem conſuetudinis ſpecies eſt *ſtylus* Curiæ, quam Imperator Juſtinianus *formam & obſervantiam* appellat, ſummis digitis, & quaſi per indicem ipſam attingere mihi viſum; quod aliqualis ejuſdem cognitio, non contemnendum in foro præſtet uſum.

Eſtque ſtylus ille, nihil aliud, quam conſuetudo, circa juris proceſſum, ſeu modum procedendi in Curiâ ſervata. Ut non tam ſpectet momentum cauſæ, quam modum ſeu rationem inſtruendi litem. Sunt enim in jure duo conſideranda, litis ordinatoria, & litis deciſoria. Ad illa refertur ſtylus Curiæ, non ad hæc; quę ex legibus, & alio jure certo petenda. *Vid. Zaſium in l.* 32. *p.* 76. *n.* 35. *D. de legibus.* 2. Quia

Digitized by Google

2. Quia vero *Stylus* ille Curiæ apertius in quotidiano judiciorum uſu, in ipſis rerum documentis apparet, ideo hic maxime fidem merebuntur, Practici eximii qui in foro diu multumque verſati ſunt. Ut tamen ad eum probandum non unius licet præclari ſatis ſufficiat auctoritas, verum plurium requiratur aſſertio; idque argumento eorum, quæ de probandâ conſuetudine antea dicta fuerunt. §. *fin. Inſtit. Satiſdat.*

Et quemadmodum iſtum procedendi modum ad unguem tenere, res eſt difficillima; ita habent Patroni cauſarum diſertiſſimi, ſecundum Merulam, quod diſcant indies, ante forte non obſervatum. *Vid.* §. *fin. Inſtit. de Satiſdat. l.* 2. *Cod. Quemadm. teſtam. aperiant. l.* 2. *Cod. de bon. vacant. gloſſ. & DD. in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. de Conſtit. apud Franciſc. Vivium in Tom. comm. Opin. libr.* 3. *verb. conſuet. Bald in l.* 1. *in fin. Cod. Quæ ſit long. conſuet. Gail.* 1. *obſ.* 65. *n*, 8. *Petr. Paul. Pariſius. in c. Illud autem. de Præſcript. Tom.* 4. *Repet. jur. canon. n.* 2. *p.* 256. *ibique Fel. Abb. in c. ex litteris. de Conſtit. Treutl. part.* 1. *diſp.* 1. *theſ.* 9. *litt. a. Menoch.* 2. *Præſumpt.* 8. *n.* 14. *cum ſeqq. Everhard. in loc. à ſtylo curiæ. Merul. Prax. civil. libr.* 1. *c.* 2. *tit.* 5. *& DD. ad l. ult. in fin. Cod. de Injur. Goris adverſ.* 3. *cap.* 7. *n.* 5. *Joſeph. Ludov. deciſ. Lucenſ.* 36.

3. Dixi ſtylum Curiæ ſpectare litis ordinatoria,

natoria, non deciſoria. Nonnunquam tamen, quæ exceptio eſt à regulâ, ad litis deciſoria ſtylus Curiæ referri poterit, in quantum reſpicit probandi modum & efficaciam; puta ut credatur tali inſtrumento, vel non credatur, ut libris mercatorum plena vel ſemiplena fides tribuatur; & in aliis ſimilibus caſubus. *Argum. l. Quædam. §. Nummularios. D. Edendo. l. 3. in fin. D Teſtibus.* poſt *Bartolum in l. Ictus fuſtium. D. Qui notant infam. Baldum in l. 1. Cod. Quæ ſit long. conſuet. Franciſcus Virius in tom. comm. Opin. libr. 3. verb. conſuetudo.*

SECT. III. CAP. IV.

1. *Æquitas commendatur.*
2. *Diſtinguitur à diſpenſatione.*
3. *Eſt juris portio.*
4. *Et quidem juris non ſcripti.*
5. 6. *Variæ proponuntur æquitatis acceptiones.*
7. *Quâ occaſione æquitas ſit introducta oſtenditur.*
8. *Quid ſit æquitas?*
9. *An juri communi contraria?*
10. *An ab omnibus judicibus adhibenda?*

1\. ALtera Species juris non ſcripti erat *æquitas*; quæ cum non adeo cuivis obvia,

via, à paucis intellecta ſatis, à paucioribus exercita, tutius tamen eſt in eâ verſari, etiam utilius, quam in variis juris ſubtilitatibus, *Oldend. in formul. inveſtig. Action.* magiſq; in explicatione ſtatutorum ea locum obtinet, quam apices juris; de ipſâ, quantum ad explicationem ejus naturæ ſatis eſt, agendum erit.

2. Quæ licet aliqualem cum *diſpenſatione* convenientiam habeat, non tamen erit cum eâ confundenda. Diſpenſatio quippe Majeſtaticis annumeratur, ſoli Principi concesſa. Interpretatio ſecundum æquitatem etiam judicibus tributa. Illa locum habet, etiam ſi manifeſtus ſit legis ſenſus; adeoque & contra legem. Hæc vero legis ſenſum in mitiorem partem trahit, dum ejus contrarium non apparet. Ut ſi lex ſit clara; licet inique ſcripta, eam judex contemnere nequeat, aut contra eandem judicare. *l.* 12. *in Princ. D. qui & à quibus Manum. l.* 1. *Cod. de leg. l. nemo judex. Cod. Sent. & interloc. Fachin.* 1. *contr.* 3.

3. In anteceſſum vero inquirendum erit: Num æquitas ſit aliqua juris portio? Reſpondendum, quod ita. Tum quia inter ſeſe opponuntur; jus æquum & iniquum. Tum quia eam complectitur juriſprudentia, profitetur juriſconſultus, ſibi in judicando propoſitam habet judex, eamque ſtricto juri prælatam debet. *l.* 1. *in init. &* §. 1. *D. de juſt.*

Digitized by Google

Juſt. & jure. l. 32. D. Rebus credit. l. 4. §. 1. D. de eo quod certo loc. dari oport. l. 91. §. 3. D. v. oblig. l. 8. Cod. de Judic. Bodin. juris univ. diſtrib. p. 14. Wurmſ. Nucl. jur. contr. tit. 1. libr. 1. contr. 7. n. 17.

4. Verum an portioni juris ſcripti, an non ſcripti, annumeranda? Retuli eam in meâ diſtributione ad jus non ſcriptum. Dependet quippe æquitatis ratio, ex ſolâ animi deliberatione, ſecundum negotiorum circumſtantias, infinitis modis variantes. Unde etiam in jure noſtro tanquam invicem oppoſita conſiderantur æquitas & jus ſcriptum. Quod in tantum etiam verum eſt, ut ſi ſcribatur æquitas, nomen & naturam ſuam mutet. *l. 12. §. 5 D. de Aquâ & Aquâ pluv. l. 7. in Princ. D. de Uſur. l. 16. D. de Condit. & demonſtr. Connan. 1. Comm. 11. Donell. 1. comm. 13. Duaren. 2. diſp. Anniv. 18. Bronch. 1. Antin. 7. Petr. Faber in l. 90. D. Reg. jur. Gotefred. ad l. 8. Cod. judic. diſſ. Wurmſer. Nucl. jur. contr. libr. 1. tit. 1. contr. 7. n. 65. & ſeqq.* ibique plurimi. Jure nihilominus canonico æquitatem aliquam ſcriptam admittunt. *vid. Duaren. d. diſp. Pezel. ad Melanton. in 8. de legibus Politic. p. mihi.* 656.

5. Sed ut natura æquitatis magis innoteſcat, præmittendæ erunt duæ ejuſdem acceptiones noſtro inſtituto inſervientes; relictis aliis, quas apud *Althuſ. dicæol. libr. 1. c.*

16 *n.*

16. n. 17. & 21. 22. reperire licebit. Certum enim aliquod jus ſemper eſſe æquum, idque ſic appellari, quod ei conjuncta ſit aliqua benignitas, id eſt ratio æqua, quæ tale jus ſuadeat. Nec tum diſtinguetur jus æquum, à jure naturali, gentium aut civili ſcripto. Quo etiam nomine exceptiones per æquitatem introductæ dicuntur etiam nonnullæ conditiones, licet ſint juris civilis ſcripti, vel Prætorii. *Init. Inſtit. de Except. l. pen. in init. D. de Juſt. & jure. l. 14. l. 66. D. de Indeb. Cond.*

6. Aliter dein jus æquum dicitur, quod juri civili ſcripto, & quidem ſtricto, contradiſtinguitur; quod jus ſtrictum Græcis ἀκριβοδίκαιον appellatur. Et habet locum, vel cum leges ſcriptæ, nimium ſeveræ, & ſine ullo moderamine poſitæ ſunt, propter aliquam utilitatem publicam, quæ commodis anteponenda privatorum. *l. 51. §. 2. v. quod ſi quis. D. Ad l. Aquil. l. 12. in init. D. Qui & quibus de cauſ. manum.*

Vel cum leges per interpretationem ſine ullo temperamento aut moderamine ad caſus ſimiles trahuntur, in quibus tamen ratione circumſtantiarum eſt aliqua diſſimilitudo; ut duriore interpretatione contra civium commodum trahantur ad ſeveritatem. *l. nulla, 25. D. de leg. l. 11. in init. D. de Pœn.*

Vel cum fraus fit legi, & ſalvis verbis legis, ejus ſententia circumvenitur. Id quod à ſophi-

ſophiſtis, & ſycophantis fieri ſolet, qui nimis acutè leges intuentur. *l.* 19. 29. 30. *D. de leg. l.* 13. *D. quod met cauſ. l. pen. D. Ad Exhibend. Auth. de litigioſis. §. omnes autem.*

7. Duabus poſtremis juris rigidi acceptionibus conſideratis, apparet ſatis, quâ ratione, quâve occaſione jus æquum ſit introductum; ſcil. ſuadente neceſſitate. Neque enim omnes caſus, qui emergunt quotidie, legibus comprehendi poterunt. *l.* 10. *l.* 12. *D. de legibus.* Et natura indies novas formas edere deproperat. *l.* 2. §. 18. *Cod. vet. jure Enucleand.* Et quoniam leges generaliter latæ, caſui ſingulari propter variationem circumſtantiarum applicari forte nequeunt, interpretatione benigna tum ſtatuendum erit, quod oportet. *l.* 11. *D. de leg.*

8. Ut æquitas nihil aliud ſit, quam juris univerſalis in certis caſubus, in quibus illud vel contrarium eſt, vel deficit moderatrix; id ipſum propter circumſtantias faciens quod ipſe legiſlator, ſi adeſſet, facturus fuiſſet. Vel interpretatione quid ſtatuendo certius; vel leges interpretando benignius; vel legis verbis neglectis, vim atque poteſtatem intuendo. *l. pen. v. Prætor etiam. D. Juſtit. & jure l.* 2. §. 5. *D. Aquâ & Aquâ pluv. l.* 32. *D Reb. credit. l.* 18. *D Ædil. Edict. l.* 11 *l.* 17. *l.* 18. *D. de legibus.*

9. Dixi, jus univerſale quandoque contrarium eſſe ejus quod per æquitatem decidi-

ditur.

ditur. Non quidem in theſi; quod legi in theſi, & generaliter latæ non ſit contrariandum, licet dura ſit. *l.* 12. *in init. D. qui & à quibus manum.* verum in hypotheſi, id eſt ratione circumſtantiarum, quæ faciunt illius legis obſervationem in caſu incidenti declinare, ſeu deficere. Ita verbi gratiâ, lex naturæ exigit, ut depoſitum repoſcenti reſtituatur. *l.* 1. *D. depoſiti.* Quid ſi itaque qui ſanus, & compos mentis gladium depoſuerit, eumque furibundus repoſcat? Quid ſi criminis capitalis reus, quæ ante reatum fidei alicujus commendaverat, repetat? Quid ſi quæ ſpolia cuſtodienda tradidit, ſibi reſtitui velit? Nec illi gladius, nec iſti bona, nec huic ſpolia ſunt reddenda. *l.* 31. *D. Depoſit. vid. Alciat.* 1. *de verb. ſignif. n.* 21.

Neque hic peccatur adverſus legem, quia non adverſus intentionem legiſlatoris, ut qui ſi adeſſet, vel tale quid eventurum prævidiſſet, facturus idem fuiſſet.

Quod dictum, ſi lex deficiat, aut declinet, æquitatis haberi rationem, id indiſtincte tamen admittendum non eſt, ne aliter leges inextricabili labyrintho implicentur.

Aut igitur lex deficit, quia generaliter lata, ſecundum DD. contrariè. Quando ſcil. non tantum ceſſat ipſa legis ratio, ſed & inique ageretur, ſi lex ſervaretur. Aut deficit lex, quia, univerſaliter lata eſt negative, in quantum incidit caſus, in quo ceſſat legis ra-

Digitized by Google

tio. Aut denique lex deficit, propter ambiguitatem, vel obſcuritatem. Duobus prioribus caſubus, æquitatis ratio juri ſtricto præferenda, atque à judice adhibenda. *l.* 8. *Cod. de judic. l.* 4. §. 1. *D. de eo quod certo loc. l.* 25. *D. donat. l.* 11. *D. Servit. Præd. Ruſtic. l.* 36. *D. verb. oblig. l. in omnibus.* 90. *l.* 143. *D. Reg. jur.*

Poſtremo caſu, quo lex eſt dubia, aut obſcura, non judicis partes, verum Magiſtratus ſupremi aut Principis interponendæ; cujus ſolius erit, inter æquitatem & jus rigidum interpretationem adhibere. *l.* 1. *Cod. de leg. l.* 12. §. 1. *Cod. eod. Beſold. in delib. juris ad libr.* 1. *Pand. tit. de juſt. & jur. q.* 12. *Wurmſer. Nucl. jur. contr. libr.* 1. *tit.* 1. *contr.* 7. *num.* 20. 21. *& ſeqq. DD. ad l.* 90. *D. Reg. jur.*

10. Quoniam vero ex ante dictis paret à judice adhibitam fuiſſe æquitatem, & adhibendam ante omnia, ut ſuppleatur illud, in quo lex deficit; colligere licebit, eos hallucinari turpiter, qui nonniſi majores judices, & ſupremas curias, ex æquo & bono judicare poſſe, ſtatuunt; immemores earum legum, quæ ab omnibus in judiciis æquitatem ſtricto juri præferendam ſuadent. *d. l.* 8. *Cod. Judic. l.* 4. §. 1. *D. quod certo loc. Nec obſt. Auth. hodie. Cod. de judic.* Eo quod, ſi recurratur ad authenticum, id eſt textum Græcum, unde illa ab Irnerio epitomatore deſum-

ſumpta, deprehendatur eam auth. ſocorditer tranſlatam & compilatam eſſe. *vid. Duaren. tit. de judic. c. de Var. Judic. Præcept. Conn.* 1. *Comm.* 11.

SECTIO QUARTA.

CAPUT PRIMUM.

1. *De voce ſtatuti agitur.*
2. *Definitur ſtatutum.*
3. *Diſtinguitur à lege propriè dictâ.*
4. *Diſtinguitur à conſuetudine.*
5. *Statutum & conſuetudo pari paſſu ambulant.*
6. *Conſuetudo nihilominus aliquo ſenſu potentior.*
7. *Statutum eſt juris ſcripti portio.*

1. SEquitur jus particulare, ſeu non commune, quod uno vocabulo uſitatiſſimo, *Statutum*, dicitur, quaſi *ſtatum publicum tuens*, ſecundum *Andream ab Exea in c. canonum Statuta. de Conſtit. tom. 2. Repet. jur. can. p.* 182. *n.* 46. Appellatur etiam *jus municipale*; ut hic tamen paulo latius ſir acceptum. Forte apud Cæſarem in init. Belli Gallici, *Inſtituti* nomine deſignatum. Etiam in jure noſtro dicta *lex*, *ſeu lex municipii*, quemadmodum in ge-

nere ſignat, jus commune; etiam ipſum Principis reſcriptum, quod *ſtatuti* venit nomine. *l.* 46. *D. verb ſignif l.* 3. §. *Divus Hadrianus. D. Sepulcro violat. l. inter claras. Cod. ſumm. Trinit. l. unic. Cod. de Senator. l.* 3. *in init. Cod. de ſent. ex pericul. Recitand. l.* 10. *Cod. de Murileg. libr.* 11 *Inſuper, canones eccleſiæ. c. canonum ſtatuta. & ibi Andr. ab Exea loc. cit. n.* 43. *p.* 182. *& c. Statutum de Præbendis. in* 6. De quo jure particulari DD. & interpretes agunt ex profeſſo ad *l. omnes populi. D. juſtitia & jure.* Quaſi in *d. l.* per jus proprium civitatis intelligatur jus ſtatutarium. Verum ſine fundamento, & adverſus ſcopum & intentionem juriſconſulti, qui in *d. l.* jus partitur in commune & proprium: illud appellat jus naturale & gentium, quod omnibus hominibus eſt commune, hoc alicujus civitatis, quod appellat jus civile, quale erat Romanorum.

2. Verum ad ſtatuti explicationem me conferam, quod hâc finitione comprehendi poterit; *eſt jus particulare, ab alio legiſlatore quam imperatore conſtitutum.* Dico *jus particulare*, in quantum opponitur juri communi, non prout eſt gentium & naturale, ſed prout eſt jus civile Romanorum, populo Romano commune, & omnibus qui illi populo parebant. Additur, *ab alio legiſlatore*; cum qui ſtatuta condit, recte & ſuo modo legiſlator appelletur, uti ipſa ſtatuta leges dicuntur municipiorum.

Digitized by Google

orum. Et quidem *ab alio*, quia regulariter ſtatuta non condit imperator: excipe, niſi municipibus jura det, ſtatuta præſcribat, ſecundum quæ ipſi ſua regant municipia. Vid. clauſul. Stat. Civitatis Ultrajectinæ. Denique adjicitur, *quam imperatore*, quod licet imperator ſolummodo dicatur legiſlator, id tamen non alio ſenſu obtineat, quam quod ſuis legibus non hunc aut illum populum, verum omnes conſtringat, quos ſuæ clementiæ regit imperium. *l. 3. l. 6. D. decret. ab ordine faciend. l. 6. in Princ. D. quod cujuſque univ. nomin. l. 25. D. Ad Munic. l. 9. D. Ad leg. Rhod. de jact. l. 1. in init. Cod. Summ. Trinit. §. 1. in fin. inſtit. Proœm. diſſ. Chriſtin. Prælud. ad ll. Mechl. n. 3.*

3. Non tamen ſtatutum ſic definitum cum lege propriè dictâ confundetur, quod multiplex inter utrumque ſit differentia. Lex enim generalis eſt, & omnes obligat, etiam ignorantes. Statutum, nec omnes, nec itidem ignorantes. Hinc cenſent DD. Simulac facta eſt ſtatuti promulgatio, ejus præſumi ſcientiam, adeoque ad obſervantiam continuo municipes, obſtringi, non tamen excluſo modico tempore; per rationem quod facilis ſit ejus ſcientia iſto in loco, ita *Menoch. 2. Arbitr caſ. 185. n. 5. & 6.* Non autem ſimulac facta eſt legis promulgatio, ejus ſcientia præſumetur, ut duobus demum menſibus elapſis à publicatione, incipiat obligare.

ligare. *Novell*, 66. §. 1. vid. tamen *exc. apud Menoch.* 2. *arbitr.* 185. Zoeſius nihilominus ad exemplum legis poſt ſtatuti promulgationem duorum menſium lapſum deſiderat, ut obſtringantur municipes. *D. de conſtit. Princ. n.* 37. *vid l.* 6. *D. de Decret. ab ordin. faciend.*

4. Non itidem confundi oportet conſuetudinem cum ſtatuto, licet quandoque particularis ſit loci conſuetudo, **coſtupme** appellata. Statutum enim ſemper eſt non commune; conſuetudo quandoque generalis, & generaliſſima. Statutum eſt jus ſancitum, id eſt ſimul & ſemel latum; conſuetudo jus non ſancitum, id eſt ſenſim atque paulatim introductum, ut eam de neceſſitate antecedat actuum frequentia. Statutum obtinet etiam ubi imperium, & in imperio; conſuetudo proprie in imperio non habet locum; id eſt non vincit legem anteriorem, niſi à Principe ſit approbata; neque tum amplius erit conſuetudo, ſed jus aliquod ſancitum. *l.* 3. *&* 9. *Cod. de leg.* §. 9. *Inſtit. de jure nat. Gent. & civil. l.* 32. *D. de leg. l.* 35. *D. eod. Arg.* §. *pen. inſtit. Proœm. l.* 2. §. 10. *Cod vet. jur. enucl. l.* 2. *Cod. quæ ſit long. conſ. Alex. conſil.* 108. *vol.* 3. *in* 2. *column. & vol.* 1. *conſ.* 39. *n.* 13. *Abbas in c. cum acceſſiſſent ult. not. de Conſtit. Connan.* 1. *comm.* 10. *n.* 3. *Cravett. de Antiq. tempor. part.* 1. *n.* 42. *Chriſtin. loc. cit. n.* 12. *Deſſel. in not. ad Zoeſ. inſtit. tit. de jure nat. gent. & civil. n.* 37.

5. Quia

Digitized by Google

5. Quia vero ſtatutum dicitur à conſuetudine differre tanquam expreſſum à tacito, ideo doctores ſtatuunt à pari ſtatutum cum eà procedere. *Argum. l. 32. in fin. D. de leg. poſt Decium conſil. 694. n. 7. Decian. vol. 5. conſil. 42. n. 24. Grammat. deciſ. 92. n. 4. Cravett. conſil. 96. n. 6. Schraderus de feud. part. 10. ſect. 8. n. 142. Tuſc. litt. c. concl. 810. n. 1. litt. S. concl. 436. Giurba proœm. ad Senat. Meſſanienſ. conſuet part. 1. n. 22.*

6. Inſpecto nihilominus aliquo effectu, potentiorem volunt eſſe conſuetudinem, quam eſt ipſa lex, vel ſtatutum. Quia conſuetudo ſuaviter & per ſe influit, per tacitum quaſi omnium conſenſum, cum ſtatutum quandoque invitis obtrudatur. *Arg. l. 32. D. leg. c. 1. de feud. cognit. Bald. conſ. 252. vol 2. Cravett. conſil. 238. n. 7. Giurba loc. alleg. Menoch. de Arbitr. 71. n. 4.*

7. Quibus præmiſſis facile jam inferri poterit, ſtatutum eſſe portionem juris ſcripti, non quod ſcribi ſtatutum ſit neceſſum, verum quod ſimul & ſemel conditum ſit & introductum. Ut tamen conſultius ſit ſtatutum in ſcripturam redigi, etiam imprimi, quo facilius in civium notitiam pervenire queat. *l. 2. §. 4. D. de orig. jur. confer. Treutl. vol. 1. diſp. 1. theſ. 5. litt. B. Chriſtin. ad ll. Mechlin. in Prælud. n. 19.*

Digitized by Google

SECT. IV. CAP. II.

1. *Quot generum ſint ſtatuta?*
2. *Refutantur hic doctores.*
3. 4. *Peculiaris auctoris ſententia proponitur.*
5. *Species ſtatutorum explicantur.*
6. *Traduntur regulæ in ſtatutis perſonalibus obſervandæ.*
7. *Nullum ſtatutum ſive reale, ſive perſonale, ſeſe extendit extra territorium.*
8. *Mobilia comitantur perſonam, ubicunque ſita.*
9. *Statutum ſe extendit extra territorium, ſi utrinque ſubſit uni ſupremo Principi.*
10. *Pœna ſubdito ſtatuto imponi poterit propter geſta extra territorium.*
11. *Etiam collectæ imponuntnr ſubdito ratione bonorum extra territorium.*
12. *Statutum prohibens ne frumentum exportetur etiam obligat forenſem.*
13. *Etiam ſtatutum obligat forenſem ſi conſentiat.*

14. Si

14. *Si ſit actus voluntariæ juriſdictionis exercendis.*

15. *Si ſtatuto contractus acceſſerit.*

16. *Bona ſtatuto loci communia, etiam quæ alibi ſita, ubi contrarium ſtatutum ex pacto, communicanda.*

17. *Statutum loci extra territorium, ex comitate & æquitate ſæpe ſervatur.*

1. PRæmiſſâ ſtatuti finitione, tam nominali, quam reali, ad ejus me conferam diviſiones varias, in quibus explicandis potiſſimum laborabo. Poterit alia deſumpta eſſe à loco, quando ſtatutum aliud provinciale, oppidanum, paganum, vicanum, quod provinciatim, oppidatim, pagatim, vicatim, condatur. Illud Lantrecht / iſtud Stadtrecht / hoc Dorprecht / &c. appellatur. *Lipſ. Monit. & exempl. c. 2. libr. 2.* Alia ab accidenti, quod vel contra jus civile ſtatutum ſit introductum, vel præter, vel ſecundum jus civile. Alia ab adjuncto, quod aliud odioſum; aliud favorabiſe, aliud mixtum. Ab effectu, aliud pœnale, aliud non pœnale; aliud prohibitivum, aliud permiſſivum &c. Verum, quoniam hæ diviſiones minoris ſunt commatis, nec tantum habent uſum in foro,

Digitized by Google

ad aliam, quæ doctorum ingenia torſit, & torquet etiamnum, meum transferam laborem. Statuta vulgo dividuntur in realia, perſonalia, & mixta. Realia nonnulli ea appellant, in quibus à re orditur oratio, perſonalia, in quibus à perſonâ. Exempli Gratiâ. *Primogenitus ſuccedat*: erit perſonale. *Bona decedentium venient ad primogenitum*, erit reale ſecundum *Bartol. in l. 1. Cod. Summ. trin. n. 42.* Verum eam ſententiam ex parte rejicit *Salic. ad d. l. Cod. n. 13. 14. Arg. l. incolæ. D. Ad Municipal.* quæ meritiſſime in totum rejicienda. Quod non verbis ſed rebus leges ſint impoſitæ; adeoque nec verba captanda. Cum ſcire leges non ſit verba tenere, ſed vim atque poteſtatem. *Argum l. 17. 29. D. de legibus. l. 2. in fin. Cod. Comm. de Legat. vid. Gilken. ad l. 1. Cod. Summ. trinit. n. 68. 89. Chriſtin. Prælud. ad Mechlin. n. 23. Burgund. 1. ad conſuet. Flandr. Rodenb. tract. de jur. conjug. c. 1.*

2. Mixta vero ſtatuta, licet admittant bene multi, non tamen ea ſatis accurate explicant, non equidem meo judicio legum ſtudioſis aut myſtis, aut pragmaticis ſatisfaciunt; an id ipſe ſim facturus, penes lectorem judicium eſto. Mixta ſtatuta appellat Argentræus, quæ de re & de perſonâ fiunt, ut ſi dicatur: *Minor ne alienet immobilia, quæ intra Statuti territorium ſunt.* Burgundus paulo aliter, ea mixta appellat, quæ partim ſtatuentis

tuentis territorio continentur, partim extra territorium extenduntur. Qualia illi ſunt: *Ne conjux conjugi donet*: *ne minor annis 25. bona alienet*. Ut illis mixta ſint, quæ tam in rem quam in perſonam, qualia vix ulla reperiuntur. Effectum etenim & in ſtatutis nos intueri oportet, eoque potiſſimum inſpecto, mixtura conſideranda, quæ etiam in multis obtinebit ſtatutis. Verum in prænominatis, nullâ ratione effectus eſt mixtura, ut quæ non extra territorium ſtatuentium ſeſe extendunt; certum indicium, ſecundum illos doctores (de quo ego poſtmodum) illa tantum in rem eſſe, concepta, non in perſonam. Nec quicquam in contrarium movet illud Burgundi, quod ſtatutum, *ne minor 25 ann. bona alienet*, ſit perſonale, in quantum reſpicit mobilia, & ita ſeſe extendit extra territorium; ſit reale, in quantum reſpicit immobilia & ſic intra territorium manet. 1. Quia & illa in territorio ſtatuentis ſita, à minore, ibidem domicilium habente, (qui caſus eſt propoſitus) alienari non poterunt. Nec obſtat, quod nec mobilia, quæ extra territorium reperiuntur, à minore in loco ſtatuentis domicilium habente alienari nequeant. Id quippe non ideo locum habet, quod perſona minoris afficiatur primario; neque enim magis afficitur perſona per prohibitam mobilium alienationem, quam immobilium, quod utrobique ex æquo res afficiatur: verum.

rum quod mobilia eſſe fingantur & intelligantur, intra ſtatuentis territorium, ubi minor domicilium habet. Cumque ſecundum juris intellectum, res mobilis territorio incolatus contineatur, quoad illam etiam ſtatutum erit reale, neque extra ſtatuentis limites, aliquid operabitur. Verum inſtabit quiſpiam pro Burgundo & aliis: igitur effectu inſpecto, adhuc poterit dici perſonale, quod ſeſe extendat extra territorium. Reſp. non ſeſe extendit extra territorium, quod non extendatur ad bona, ſecundum juris intellectum alibi reperta. Qualia ſunt immobilia; verum mobilia ibi cenſeatur eſſe, ſecundum juris intellectum, ubi is, cujus ea ſunt, ſedem atque larem ſuarum fortunarum collocavit. Inſtabit quis ſecundo, quod effectu inſpecto, ſtatutum de quo contentio, non differat à ſtatuto perſonali. Verum reſpondeo, adhuc multum differet.:

Quod perſonale ſecundum illos ipſos, & pleroſque Doctores, ſeſe extendat extra territorium tam ratione bonorum immobilium, quam mobilium; hoc, de quo contentio, tantum ſecundum illos ad mobilia, non item ad immobilia extra territorium ſita, extendatur. Aſt uti dictum, ipſa mobilia, ibi eſſe intelliguntur, ubi quis domicilium fovet, nec ſeſe ad immobilia alibi jacentia extendit ſtatutum, & præter illa, nulla alia reperiuntur bona; adeoque nec extra territorium vi-

res

res ullas exſerere, ſtatuendum erit; ut in terminis ſtatuti realis, ſecundum communem ſenſum, conſiſtere debeat. *Argum.* §. *Quædam nationes. Inſtit. de Action. l.* 1. *D. fin. Regund. l.* 29. *in med. init. D. Comm. divid. Diſſ. Burg. ad conſ. Flandr. tract.* 1. *n.* 2. & *n.* 41. *ibidemque Everhard. loc. leg.* 79. *Lambert. Goris Adverſ. part.* 1. *c.* 6.

3. Vt meum promam ſenſum, duplici reſpectu ſtatuta conſiderabo, vel ratione objecti, quod afficiunt, vel ratione quorundam effectorum. Objecti; ſic quædam erunt perſonalia, quædam realia; illa, quæ afficiunt perſonam, adeoque ei quaſi inhærent; hæc quæ rem afficiunt: illa, quæ circa perſonam, potiſſimum quid diſponunt, ſeu in ordine ad perſonam; hæc quæ circa rem, & potiſſimum, in ordine ad rem, aliquid ſtatuunt. Et ita forte nulla dabuntur mixti generis ſtatuta, quod vel magis rem quam perſonam, vel magis perſonam, quam rem afficiant; adeoque illi generi ſint annumeranda, quod in iis prædominatur. *Arg.* §. 1. & 28. *Inſtit. de Action.* Quęque ibidem à Theoricis notantur, qui præter actiones in rem & in perſonam, alias nullas agnoverunt: idem quod ſecundum analogiam, quis non immerito ſtatutis applicaverit.

Niſi quis eo aliquo modo referre voluerit, omnia illa ſtatuta, quæ de ſolemnibus his aut illis adhibendis diſponunt; in

quantum ſuo modo afficiunt omnes perſonas, in loco ſtatuentis, aliquid agentes; & ſuo modo res, ubicunque locorum ſitas. Licet, propriè loquendo, ſolemnitas adhibenda vel ex parte rei, vel perſonæ, potius ſit aliquod adjunctum, quam ut afficiat vel rem, vel perſonam.

4. Quod ſi ſtatuta ratione quorundam effectorum conſiderentur, ſic meo ſenſu, alia erunt realia, alia perſonalia, alia mixta.

Realia, quæ non extra territorium ſtatuentium vires ſuas exſerunt. Sed tamen non ſubditos ligant, ratione bonorum immobilium, ibi ſitorum. *l. an in totum. D. Ædif. Privat. l. pupillo D. tutor. & Curat. dat. l. certa ſumma. Cod. jure fiſci. l. reſcripto. in fin. D. Muner. Honor. Maſcard. concluſ. 6. de interpret. Stat. n.* 101. 102.

Perſonalia, quæ etiam ſeſe extendunt extra territorium, adeoque ſecundum DD. comitari dicuntur perſonam, ubique locorum, ut tamen reſpiciant ſubditos, non exteros, aut peregrinos, qui ab alieno territorio nullam qualitatem accipiunt:

Sicque mihi mixta dicentur, quæ effectu aliquo inſpecto, partim intra, partim extra territorium, vires exſerunt. Intra, in quantum obſtringunt omnes, ſive incolas, ſive forenſes, ibi contendentes vel aliquid agentes; extra, in quantum ſeſe extendunt ad omnia bona, ubicunque locorum jacentia.

Illud

Illud participando, de ſtatutis realibus, hoc de perſonalibus.

Unde mixta dicentur meo ſenſu, quæ licet forte vel in rem vel in perſonam loquerentur, non tamen principaliter de re vel de perſonâ diſponant, verum de modo vel ſolemnitate, in omnibus negotiis & cauſis ſive judicialibus ſive extrajudicialibus, adhibendâ. Et ita puto me viam planam inveniſſe, & nullibi fallentem, circa ſtatuta mixta, cum tamen in perſonalium ſtatutorum explicatione, in ordine ad effectus, regula certa non ſit; uti ex poſt dicendis, erit planum. *Diſſent. ex parte Burgund. d. tract.* 1. *n.* 1. 2. 3. 4. *Chriſtin.* 2. *vol. deciſ.* 56. *Mev. ad Lubec. quæſt.* 4. *Prælim. ibique alii, Argentr. ad conſ. Britton. artic.* 298. *n.* 5. *p.* 647. *& ſeq. Anton. Matth. de Crimin. libr* 48. *D. tit.* 20. *cap.* 4. *num.* 17. *Chriſtin. Rodenb. d. tract. tit.* 1. *&* 2. *c.* 1 *& ſeq.* & omnes alii, nullo quod ſciam excepto.

5. Verum ut magis innoteſcat ſtatutorum ratio, principio illam diviſionem ab objecto deſumptam amplius elucidabo. Dicebantur illa realia, quæ rem afficiebant & quidem primo & principaliter, ut non ſtatim ſi circa rem verſentur, dicenda ſint realia ſtatuta, qualia ſunt de ſolemnibus, in alienatione rei adhibendis; uti nec ſi rei aliqua in ſtatutis fiat mentio, ſi modo principalis intentio ſtatuentis non ſit, de re aliquid diſponere,

aut

Digitized by Google

aut ordinare, uti deinceps declarabitur.

Perſonalia ſtatuta dicebantur, quæ primario & per ſe afficiunt perſonam; ut non ſimulac verbum aliquod occurrit perſonæ in ſtatutis, aut fit perſonæ mentio, judicandum ſit, ſtatutum eſſe perſonale. Quod autem perſona dicitur affici, id ipſum varios continet modos.

Vel enim perſonæ aliquid permittitur, ut filio-familias teſtari; qui de jure civili id non poterat. Vel tollit aliquod obſtaculum, ut infamem reſtituere dignitati, ſpurium, baſtardum legitimare. Vel habilitatem addit, ut Notario quo publicum faciat inſtrumentum. Vel inhabilitat aliquem ad actus varios. eundem infamando; prodigum declarando, eidem interdicendo, arte, advocatiâ, negotiatione. Vel habilitat ſervatâ formâ, & inhabilitat, ea ceſſante. Ut ſi minor aut mulier nequeat contrahere, ſine conſenſu propinquorum. &c. Vel qualitatem aliquam imprimit puta, minori, ut habeatur pro majore, ignobili ut pro nobili agnoſcatur; & in genere omnibus illis modis in perſonam ſtatutum conſtituitur, quando tanquam de universali perſonæ ſtatu diſponitur; ſive ei aliquid addatur, ſive detrahatur, ſive permittatur, ſive aliquod impedimentum auferatur, adeoque alius à priori ſtatu inducitur vel alteratur prior, vid. *Gabriel comm. opin. libr. 6. de Statut. concl. 8. Andream ab Exea. in c.*

canonum.

canonum Statuta. de Conſtit. tom. 2. *Repet. jur. Canon. p.* 189. *n.* 155.

Non itaque ſi aliquá ratione perſonâ afficiatur, id eſt prohibeatur aliquid facere, ſtatim erit perſonale ſtatutum: quale eſt; *maritus, ne quid donet uxori*: quia non univerſaliter de perſonæ ſtatu diſponit, verum tantum in certo caſu aliquid prohibet fieri, qui potiſſimum rem ipſam afficit.

6. Atque ita putem me clarum reddidiſſe quoad fieri poterit, quid in genere ad ſtatutum perſonale referri debeat. Subjungam regulas aliquot generales, quæ omni ſtatuto perſonali applicari poterunt; dein in ſpecie in varia inquiram ſtatuta; denique tum jure civili, tum in pleriſque ipſâ praxi, regulas à me traditas, confirmabo.

Prima regula eſt; ſtatutum perſonale tantum afficit ſubditos territorii, ubi ſtatutum conditum eſt, non autem forenſes, licet ibidem aliquid agentes. *Arg. l.* 1. *in fin. D. Tutor. & curator. dat. l. neque. Cod. qui dare tutores. Salicet. Cod. Summ. Trinit. l.* 1. *n.* 10. *Tom. comm. opinion. ex Conſil. Marian. & Socini junior. verb. ſtatutum*.

Secunda eſt; Statutum perſonale, non afficit perſonam extra territorium; ſic ut pro tali non reputetur extra territorium, qualis erat intra. *Arg. l.* 1. 2. *D. offic. Proconſ.* ubi qualitas addita Proconſuli, eum ibi tantum comitatur, ubi erit Proconſul, non alibi.

bi. vid. *Salic. Cod. ad l.* 1. *de Sum. Trinit. n.* 11.

Tertia eſt; Perſonalis qualitas non poteſt extra territorium addi perſonæ non ſubjectæ. *Arg l. fin. D. juriſd. Bartol. ad l.* 1. *Cod. ſumm. Trinit. n.* 16. *Gail.* 2. *obſ.* 124. *n.* 13. *Zoeſ. D. qui teſtam. facere poſſunt. n.* 51.

Quarta eſt; ſtatutum perſonale ubique locorum perſonam comitatur, in ordine ad bona intra territorium ſtatuentis ſita, ubi perſona affecta, domicilium habet. Vel etiam in ordine ad pœnam à cive petendam, ſi pœna civibus ſit impoſita. *l.* 2. 4. *Cod. Commerc. & Mercat.* Non tamen ſtatutum perſonale; ſeſe regulariter extendet ad bona immobilia, alibi ſita. Diſſentiunt ex parte DD. vid. *Jacobum Marchiſellum Sylv. quæſt. Practic.* 45. *n.* 1. 2. 3. *Gabriel. comm. opin. libr.* 6. *de ſtatutis concl.* 8. *n.* 1. 7. 8. 9. *& ſeqq. ibique varios.*

Sunt qui diſtinguunt, inter ſtatutum favorabile & odioſum; quaſi illud extendatur, non hoc. *Maſcard. de interpret. Statutor. concluſ.* 6. *n.* 120. 121. *& ſeqq. ibique varii. Chriſtin. ad Mechlin. in Prælud. n.* 45.

7. Verum quod indiſtincte procedat mea ſententia, ex ſequentibus patebit abunde. Quia nullum ſtatutum, ſive in rem, ſive in perſonam, ſi de ratione juris civilis ſermo inſtituatur, ſeſe extendit ultra ſtatuentis territorium. *l. fin. D. de juriſdict. l.* 27. *in Princ.*

D. de

D. de Tutor. & Curator. datis. l. 47. §. tutor. D. Admin. tutel. l. 12. D. de Reb. auct. judic. Poſſid.

Neque hic diſtinguam, cum lex non diſtinguat, an ſeſe extendat ſtatutum directe ad bona extra territorium ſtatuentium, ſita, an indirecte, an propalam, an per conſequentiam. Cum non ſint indirecte, in fraudem legis aut ſtatuti permittenda, quæ directe ſunt prohibita. *l. 29. D. de leg. l. 21. §. 1. D. Tutor. & curat. dat.* Quinimo uti civitas, quæ civitati non paret, alterius civitatis conſuetudine non ligatur, aut expreſſe, aut tacite, ita ſtatutum civitatis unius nec expreſſe nec tacite in ordine ad alteram vires exſerere poterit. *Arg. l. ult. D. Juriſ. l. 1. in init. Cod. Summ. Trinit. Alex. vol. 1. conſ. 16. conſ. 128. & vol. 5. conſil. 41. n. 4. Cravett. conſ. 30. n. 3. conſ. 271. n. 4. & conſ. 799. Tiraquell. Teßaur. Menoch. aliique apud. Giurbam in Conſuet. Senat. Meſſanienſ. in proœm. n. 33. & c. 1. Gloſſ. 2. part. 1. n. 119. Baptiſta Villalobos in tom. comm. opin. libr. 17. verb. ſtatutum. p. 354. Honded. Conſ. 29. n. 37. & conſ. 46. n. 24. vol. 2. vid. & Cevall. comm. contra comm. q. 724. Mynſ. 5. obſ. 19. Gothefr. in l. ult. D. de juriſd. Fachin. 5. controv. 91. Maſcard. de interpret. Statutor. concluſ. 6. n. 1. 2. 3. 4. & ſeqq.*

8. Quin tamen ratione mobilium, ubicunque ſitorum, domicilium ſeu perſonam domini ſequamur, ut tamen ſpectentur loca,

quo

quo deſtinata, nullus iverit inficias; idque propter expreſſos textus juris civilis, quibus mobilia certo loco non alligantur, verum ſecundum juris intellectum perſonam comitari, eique adhærere judicantur; id quod etiam mores ubique locorum ſequuntur. *l.* 50. §. 1. *D. judic. ubi Gothefred. in not. per ll. l.* 19. §. *rerum autem. D. hæred. Inſtit. l.* 41. §. *legaverat. l. ſi fundus* 44. *D. leg.* 3. *l.* 36. *D. de Adminiſtr. tutel. Bald. in l. mercatores. Cod. Commerc. & Mercat. Alex. vol.* 6. *conſil.* 19. *n.* 9. *& vol.* 7. *conſil.* 141. *n.* 20. *Tiraquell. de Retract.* §. 1. *gloſſ.* 7. *n.* 10. *& ſeq. Gilken. ad init. tit. de Summ. Trinit. n.* 85. *Honded. conſil.* 31. *n.* 19. *vol.* 1. *Gail.* 2. *obſ.* 124. *n.* 18. *Chaſſan. ad Burgund. Rubric.* 9. §. 16. *verb. tant an meubles. n.* 1. 2. *Peck. teſtam. conjug. libr.* 4. *c.* 35. *n.* 7. *Peregrin de jure fiſci. libr.* 5. *tit.* 1. *n.* 14. *Giurb. ad conſuet. Meſſan. c.* 1. *gloſſ.* 2. *part.* 1. *n.* 121. *Zoeſ. D. qui teſtam. facere poſſ. n.* 52.

9. Sic itidem ſtatutum in rem & in perſonam, ſeſe extra ſtatuentis territorium extendet, in quantum à ſupremo Principe eſt confirmatum, qui utriuſque territorii eſt dominus. *Arg. l.* 12. 13. 14. *D. Teſtam. tutel. l.* 7. 11. *D. Cuſtod & Exhibit. Reor. Nov.* 134. *c.* 1. *Campeg. de dote part. ult. q.* 64. *Teſſaur.* 2. *quæſt. forenſ.* 5. *n.* 13.

10. Sic itidem poteſtas ſtatuentium ſeſe extendit extra territorium ad hunc effectum, ut

ut pœna ſubdito imponatur, de geſtis extra territorium, ſiquidem id expreſſum ſit ſtatuto, ut teneantur, ſi extra territorium deliquerint; non ſi ſimpliciter loquatur. *l. relegatorum. §. intercedere. D. Interd. Relegat. l. 4. Cod. Comm. Mercator.* ibique *DD. Alciat. conſ.* 63. *n.* 3. 4. *Chaſſan. ad Burgund. Rubric.* 2. §. 1. *n.* 11. *Cephall. conſil.* 309. *n.* 30. 35. *Gabriel. comm. concl. tit. de ſtatutis. Marc. Anton. Marſcot. in c. ut animarum. de conſtit. tom.* 5. *Repet. jur. can. p.* 111. *n.* 20. 22. 23. *concluſ.* 8. *n.* 24. *Maſcard. d. libr. concl.* 6. *n.* 115. *& ſeqq. Jacob. Marchiſell. Sylv. quæſt. Pract.* 45. *n.* 1. 2.

11. Sic etiam ſtatutum afficit bona ſubditorum alibi ſitorum, in quantum perſonæ ſibi ſubditæ, ratione bonorum, in alieno territorio exiſtentium, collectam imponit: quod tum demum obtinere vult Salicetus; ſi ibidem bonis collecta ſit impoſita. *ad l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 14. *litt. a. in additam.*

12. Non aliter, atque huic territorio ſubjacet forenſis ratione bonorum, quæ exportare nequit, contra ſtatutum prohibens frumentum forte exportari; ſi modo in territorio aut ipſe aut pars bonorum mobilium etiamnum reperiantur. Ad hunc effectum, ut de illicite geſtis intra territorium, puniatur. Accedit, quod tale ſtatutum non tam in perſonam, quam in rem latum eſſe videatur, ut forenſem ratione rei ibidem ſitæ, conſtringat.

Digitized by Google

gat. *Bartol. Roeland. à Valle, aliique apud Fabrum. Cod. de leg. def.* 2. Vid. *tamen diſſ. Teſſaur. deciſ. Pedemont. Senat.* 152.

13. Inſuper ſi non ſubditi, ſuâ ſponte conſentiant in judicem non ſuum, etiam tum ſtatutum extra territorium ad non ſubditum vires exſerit. Id quod obtinet in juriſdictione prorogatâ. *l.* 18. *D. juriſd. l.* 1. 2. *D. judic.*

14. Amplius, ſi voluntariæ juriſdictionis actus exercendus, qui etiam extra territorium judicis exerceri poterat. *l.* 2. *D. Offic. Proconſ.* niſi quis velit ea tantum obtinere, ſi quando plures judices uni Principi parent. *Marcus Anton. Marſcot in c. ut animarum. de Conſtit. in* 5. *tom. Repet. jur. can. n.* 22. *& ſeqq. p.* 111. 112.

15. Ut etiam, ſi ſtatuto in uno territorio, contractus acceſſerit, ſeu partium conventio, etiam ſi in rem ſit conceptum, ſeſe extendet ad bona, extra juriſdictionem ſtatuentium ſita; non ut afficiat immediate ipſa bona, quam ipſam perſonam, quoad illa; ad quæ contractus aut conventionis ratione jus eſt quæſitum. *Arg. l.* 13. *in init. D. Comm. Prædior. Teſſaur.* 2. *Forenſ. quæſt.* 5. *n.* 6. *Giurb. ad Conſuet. Senat. Meſſanienſ. part.* 1. *c.* 6. *gloſ.* 8. *n.* 10. 11.

16. Quâ ratione, ſi ſtatuto hujus loci, inter conjuges bona ſint communia, vel pactis antenuptialibus ita conventum ſit, ut omnia, ubique locorum ſita, communia forent;

rent; etiam ad illa, quæ in Friſiâ jacent, ubi nonniſi quæſitorum eſt communio, dabitur actio ut communicentur. *Argum. ſocietatis univerſalis. l. 74. D. Pro ſocio. Argentr. ad conſ. Britton. artic. 218. n. 38. Christian. Roodenburg de jure conjug. tit. 2. c. 5. n. 14. vid. ſequentia.* Malim tamen id indiſtincte obtinere, id eſt, etiam extra ſocietatem univerſalem, & de moribus conjugalem; in quantum quis poteſt rebus extra territorium ſitis, & ad ſe pertinentibus legem dicere, unde naſcatur actio. *l. 7. 12. D. Pact. dotal. l. 6. Cod. Pact. Conv. l. unic. Cod. Rei uxoriæ action. §. illo proculdubio. l. 1. Cod. Contrah. empt. l. fin. Cod. Si quis alteri vel ſibi.*

17. Denique nonnunquam, dum populus vicinus vicini mores comiter vult obſervare, & ne multa bene geſta turbarentur, de moribus, ſtatuta territorium ſtatuentis, inſpecto effectu, ſolent egredi. *l. 7. §. fin. D. capt. & Poſtlim.*

SECT. IV. CAP. III.

1. *Veniæ impetratio ad teſtandum ſpectat ſolemnia.*
2. *Statutum ne conjux conjugi donet eſt reale.*
3. *Statutum ut minor ſit major, eſt perſonale.*

4. Non

4. *Non ſeſe tamen extendit extra territorium.*

5. *Non etiam minor major effectus, ad omnem juris effectum cenſebitur eſſe major.*

6. *Quando majori ſic facto currat tempus reſtitutionis in integram?*

7. *An qui major factus poſſit eſſe tutor?*

8. *De moribus quorundam mater vidua, quæ minorennis poteſt eſſe tutrix.*

9. *Statutum de bonorum communione inter conjuges eſt reale.*

10. *Statutum de ſucceſſionibus ab inteſtato reale eſt.*

11. *Etiam de ſucceſſionibus teſtamentariis.*

12. *Ut filius-familias faciat teſtamentum, eſt ſtatutum reale.*

13. *An in uno loco inhabilis alibi, ubi jus civile obtinet, teſtari poſſit cum effectu?*

14. *Forenſis uti non poterit, alterius loci ſtatuto.*

15. *Legitimatus in uno territorio non cenſetur eſſe legitimatus in alio, effectu inſpecto.*

16. In

16. *In uno loco nobilitatus, non ubique cenſetur talis.*

17. *An cui in uno loco bonis interdictum, ad adminiſtrandum ubique cenſeatur inhabilis?*

18. *An in uno loco notatus, alibi cenſeatur notatus?*

19. *An ſi alicui interdictum vel arte vel negotiatione, vel loco, id alibi locum habeat?*

20. *An Tabellio extra ſuum territorium recte conficiat inſtrumentum?*

1. VErum ut magis de veritate hactenus explicatorum conſtet, ſupereſt ut in nonnulla inquiratur ſtatuta; cujus illa ſint generis, & ad quæ, & quouſque ſeſe extendant?

Et quidem principio inquiram, Utrum ſtatutum de veniæ impetratione, ad teſtandum, quam **octroy** appellamus, quæ in Provinciâ Ultrajectinâ, etiam quoad allodia, neceſſaria, ſtatuto reali ſit annumerandum? Reſpondeo, ſiquidem de perſonali & reali ſtatuto foret quæſtio, perſonali magis foret annumerandum, licet in ipſis licentiæ litteris bonorum intra territorium jacentium fiat mentio; eo quod agat de licentiâ diſponendi ſimpliciter ſeu teſtandi, quæ eſt juris per-

 miſſivi

miſſivi, in ordine perſonæ teſtantis. Malim tamen illam licentiam potius ad teſtandi formam, neceſſarium requiſitum, ſeu ſolemnitatem referre. Sic enim de jure civili, veniæ illa impetratio per Principem conceſſa, ſurdo & muto, ad ſolemnia refertur, nunquam ad rem ipſam. *Argum. tot. tituli, & §. item ſurdus. Inſtit. quibus non eſt permiſſ. facer. teſtam. & l. 7. D. qui teſtam. facere poſſ.* Quo nomine miles, ſurdus & mutus, ſine veniæ impetratione teſtari poteſt, quod ipſius teſtamentum ſit privilegiatum, ipſeque à juris ſolemnibus liberatus, §. 2. *Inſtit. de Teſtam. militar.* Accedit, quod Teſtamentum Hollandi in Hollandiâ factum, ubi tamen licentiâ opus non eſt, ſeſe extendat etiam ad bonâ in provinciâ Trajectinâ jacentia: certum indicium, licentiam non rem afficere, ſed partem facere ſolemnitatum. Ut non quæratur de quibus bonis teſtari liceat, ſed quomodo? Id eſt, præhabitâ veniâ, adhibitâ licentiâ. Nutanter & vacillanter hâc in re, ut quid ſtatuat, ipſe dubitem. *Ampliſſ. Rodenburch. tract. de jure conjug. c. 3. tit. 2. p. 115. & c. 4. n. 8. vid. tamen eundem p. 57. & ſeq. vid. & Zoeſ. D. qui teſtam. facere poſſ. n. 53. Sand. de feud. Gelriæ tit. 3. num. 74. pag. 149. 150.*

2. Ulterius utrum ſtatutum: *ne conjux conjugi donet, aut aliquid relinquat,* quale eſt noſtrum Trajectinum, ſit in rem, an in

perſonam

perſonam conceptum? Reſpondeo, licet forte de jure Romano tale ſtatutum in perſonam poſſit eſſe, conceptum; quod ibidem alia ratio prohibitionis, atque apud noſtrates, ibidem donatio valebat, ad inſtar mortis cauſâ, adeoque morte confirmabatur, apud noſtros, non item: nihilominus dicendum erit, hoc ſtatutum de moribus eſſe mere reale. Inhibet quippe rerum alienationem & translationem, primarioq; verſatur circa rem, tanquam objectum ſtatuti principale; neque etiam extenditur, ad immobilia, extra ſtatuentis territorium ſita ubi contrarium obtinet ſtatutum. *Arg. l. ult. D juriſd. l.* 27. §. 1. *D. Tutor & curat. dat.* Hancque ſententiam à multis obſervatam, uſu approbatam, & magni ſenatus arreſtis confirmatam, refert *Peckius de Teſtam. conjug. libr.* 4. *c.* 7. 10. 12. 28. 29. *Gothefred. ad l. ult. D. de juriſd. verb. quid ſi municipum lege. diſſentit ex parte Burgund. ad conſ. Flandr. tract.* 1. *n.* 41. qui ſtatuit illud eſſe mixti generis. Diſſentiunt alii in totum, qui id ipſum ſtatuto perſonali annumerant. uti *Bartolus in l.* 32. *D. de leg. in fin. Bald. in conſil.* 418. *in Princ. libr.* 4. *Socin. lib.* 4. *conſil.* 131. *n.* 2. *aliique apud Alderanum Maſcardum, dubitantem, de interpret. Statutor. concl.* 4. *n.* 145. *& concluſ.* 6. *n.* 15. *vid. Chriſtin. ad Mechlin. in prælud. n.* 45. *& tit.* 17. *artic.* 2. *n.* 11. *& artic.* 3. *n.* 13. *Rodenburg. tract. de jure conjugum tit.* 2. *cap.* 5. *n.* 1. 2. Quæ cauſa

eſt, quod nuperâ ordinum noſtrorũ declaratione de an. 1659. Apr. 14. extra controverſiam omnem hæc quæſtio ſit conſtituta, adeoq; ſtatuto reali, hoc noſtrum, annumeratum.

3. Quale cenſebitur eſſe ſtatutum, *ut minor fiat major, 18. vel 20. ætatis anno*, quale antehâc noſtrum Ultrajectinum, nuperâ itdem ordinum declaratione ann. 1659. April. 14. immutatum, an reale, an vero perſonale? Reſpondeo, & ſi qui per ætatem major eſt factus, eo ipſo liberam rei ſuæ conſequatur adminiſtrationem: quia tamen ſtatuentium ſcopus eſt & intentio, perſonas de jure civili inhabiles, habilitare, eaſque primo & per ſe afficere aliquâ qualitate, perſonale ſtatutum erit dicendum. *vid Berlich. part. 1. deciſ. 6. n. 7. Rodenb. tract. de jure conjug. tit. 2. c. 1.*

4. Verum, utrum eo ipſo ſemet extendat extra ſtatuentis territorium, idque ad omnem juris effectum, ſic ut illa qualitas perſonam comitetur ubique locorum, id equidem, admodum dubium eſt. Et licet id permulti velint, illis tamen, invitâ jurisprudentiâ, non potero aſſentiri, per allegata ſuperius. Quo etiam forte nomine Ordin. Ultrajectini ſuâ Conſtit. de ann. 1659. April. 14 art. 16. id reale appellant.

5. Utrum itidem, qui ita ſtatuto major eſt effectus, quoad omnem juris effectum pro majore habeatur, ſic ut poſtquam 18.

vel

vel 20 ætatis annum impleit, perdat beneficium in integrum reſtitutionis ex edicto minoribus annis 25. competens, diſquiri poterit? Meo judicio, in illis omnibus in quibus pro majore habetur, cenſendus eſt illud minoris ætatis beneficium amiſiſſe. Ut tamen id extendi nolim rerum ad alienationē, maxime ſi illa etiamnum tali ſtatuto ſit reſtricta. Id quod antea ſtatuto Ultrajectino obtinebat. *Rubric*. 28. *artic*. 6. Et videtur ſententia hæc ſtabiliri *Argum. l.* 3, *Cod. qui veniam ætat. Impetr. l.* 5. *in init. Cod. de Tempor. in integr. Reſtit. Montan. de Tutel. c.* 33. *n.* 38. 619. *Cuyck ad Cravettam conſil.* 722. *Anton. Matth. diſp.* 5. *de Curat. n.* 22. *ibique alii. DD. Zoeſ. D. de Minor. num.* 20.

6. Verum, an ex quo quis major eſt effectus vi ſtatuti, ſtatim etiam tempus in integrum reſtitutionis ipſi currere incipiet, an demum poſt ætatem de jure civili perfectam, id eſt poſt 25. ætatis annum? Reſpondeo, tempus quidem petendi reſtitutionis ipſi poſt annum vel 18. vel 20. prout ſtatutum diſpoſuerit, curret, verum tamen durabit uſque in illud tempus, quod de jure civili, minoribus ad reſtitutionem eſt conceſſum. Tum quia is, qui ætatis veniam à Principe impetravit, etiam ſecundum DD. poſt tempus veniæ impetratæ, etiam poſtquam judicis acceſſit cognitio, & examen, poſt quadriennium reſtitui poterit, modo ſit minor,

 ann.

Digitized by Google

ann. 25. Quod ſi verum erit, in reſcripto Principis, ætatis veniam concedentis, multo magis in ſtatuto obtinebit quod non plus operatur, quam ætatis venia; etiam forte minorem juris civilis, ſaltem non majorem, inducet correctionem, quam ipſum reſcriptum. Tum quia ſtatuta ſic ſunt explicanda, atque temperanda, ne caſum duplicatæ correctionis juris civilis in ſe contineant: id quod accideret, ſi præter correctionem temporis minoris ætatis, etiam accederet correctio temporis reſtitutionis in integrum. Tum quia, quod ſtatuto introductum eſt, in gratiam minorum, ut eo citius poteſtate curatoriâ liberarentur, rerum ſuarum adminiſtrationem conſequerentur, non oportet in ipſorum odium detorquere. *l. 5. in fin. init. Cod. tempor. in integr. reſtit. l. 12. D. vulg. & pupill. ſubſtit. l. 6. Cod. de leg. Johann. Andr. in addit. ad Speculat. libr. 2. part. 3. de Reſtit. in integr. n. 4. litt. B. Caſtrenſ. conſ. 106. incip. incipiendo. n. 3. Tuſc. tom. 7. verb. ſtatutum. concluſ. 607. n. 76. Berlich. part. 1. deciſ. 6. ibique plures. qui etiam à Scabinis Lipſenſibus ita judicatum refert. vid. & Anton. Matth. diſp. 5. de Curat. n. 22. vid. Oddum de Reſtit. part. 1. quæſt. 20. artic. 1. Caſtrenſ. in l. ea quæ. Cod. Tempor. in integrum Reſtitut. Cravett. conſil. 722. de Simili ſtatuto Papienſi. n. 22.*

7. Idem quod dicendum, de ſtatuto, quod

quod minorem per nuptias tutelâ liberat, atque pro majori habet. Neque enim hoc ipſum ad onera trahendum erit, quaſi ante 25. ætatis annum tutelam ſibi impoſitam ſubire debeat, aut etiam poſſit. Neque enim unâ poſitâ juris civilis correctione, præſumenda erit altera, præſertim in materiâ odioſâ: cum ſic interpretemur ſtatuta, ut quam minimum à jure civili devient, nec in quorum favorem inducta, in eorum odium torqueantur, per allegata quæſtione ſuperiori. *Montan. de Tutel. c. 33. n. 619. Oddus de Reſtit. in integr. q. 23. n. 44. 47. & 50. Sand. libr. 2. tit. 7. def. 4. Mev. ad Lubec. 1. Rubr. 7. art. 6. n. 14. & ſeqq. aliique apud Anton. Matth. diſput. 1. de Tutel. n. 7. 8.*

8. Nec tamen, quod in tranſitu obſervandum, de moribus nonnullorum locorum excluditur mater vidua, & minor 25. annis à tutelâ ſuorum liberorum uti judicatum ſcribit *Chriſtin. 3. deciſ. 149. n. 7.* Nec diſtinctionem inter minorennem & majorennem matrem admittendam eſſe, refert *Faber in Cod. quando mulier. tutel. offic. etiam DD. apud Barboſ. in collect. tit. eod. n. 7.* Etiam cum aliquo temperamento in ditionibus noſtri Belgii fœderati, Celſiſſimi Guilielmi Frederici Arauſonienſium Principis pupilli, Regiæ Principiſſę viduæ matri, tutela fuit concredita.

9. Verum quid ſtatuendum de variarum

Provinciarum in Belgio conſuetudine, vel potius ſtatuto, quo inter conjuges, poſt celebratas nuptias, ut in Hollandia; poſt copulam, ut apud Ultrajectinos, bonorum inducitur communio, niſi pactis ſit excluſa dotalibus, reali ne ſtatuto adnunerabitur, an potius perſonali? Reſp. Et ſi forte de jure civili tale ſtatūtum, ad exemplum ſocietatis ad bona alibi jacentia ſeſe extenderet, in quâ ſocietate, ſi ea ſit omnium bonorum, etiam omnia, continuo, per fictam aliquam traditionem, exceptis nominibus, communicabantur. *l. 1. in fin. l. 2. l. 3. D. Pro ſocio.*

Etiam ſi pactum interveniat, ex eo naſceretur actio perſonalis, ad bonorum extra territorium jacentium, ubi contraria conſuetudo locum habet communicationem, vel æſtimationem &c. *Arg. l. 7. 12. D. Pact. dotal. l. 6. Cod. de Pact. convent.* Quia tamen illa communio ſtatutaria potiſſimum rerum ſpectat alienationem, adeoque res ipſas afficit primario & principaliter, negari non poterit, quin reali ſtatuto, hoc noſtrum ſit connumerandum; ut ad bona alibi ſita, ubi contrarium obtinet ſtatutum, reales effectus non exerat. per all. anterioribus poſitionibus: *Argentr. artic. 218. ad conſ. Britton. n. 38. Chriſtin. vol. 2. Deciſ. 57. diſſ. Burgund. ad. Conſ. Flandr. tract. 1. n. 15. vid. Ampliſſ. Rodenburg. tract. de jure conjug. tit. 2. c. 1. Simonem van der Leeuwen Parat. juris noviſſ. libr. 4. artic. 1. cap. 15.*

10. I-

10. Idem ne inferendum de ſtatutis, quę ſpectant ſucceſſiones ab inteſtato? Reſpondeo, quod ita; rem enim afficiunt, non perſonam, ut legibus loci, ubi bona ſita ſunt, vel eſſe intelliguntur, regi debeant. Immobilia ſtatutis loci, ubi ſita, mobilia loci ſtatutis, ubi teſtator habuit domicilium. *Tiraquell. de jure primogen. q. 46. Giurba ad Meſſan. c. 6. gloſſ. 8. part. 1. n. 3. vid. & Sand. libr. 4. deciſ. tit. 6. def. 7. Burgund. ad conſuet. Flandr. tract. 1. n. 25. Chriſtin. vol. 3. deciſ. 59. Chriſtian. Rodenburch. tract. de jure conjug. cap. 2. tit. 2. n. 1. Omnino diſſ. Salicet. qui 5. argumentis in l. 1 Cod. de Summ. Trinit. n. 14.* contendit, reſpici ſtatutum originis, & domicilii defuncti. Verum de hoc quæſito, & in materia de concurſu ſtatutorum erit uberior occaſio diſſerendi.

11. Idem quod inferendum, quoad ſucceſſionem teſtamentariam; finge enim teſtamentum hic fieri permiſſum eſſe, in Geldria non ita? Hinc ſi quiſpiam hic fecerit teſtamentum, non capiet vires, ratione bonorum, in Gelria jacentium. Tale quippe ſtatutum ſpectat ipſa bona, adeoque erit reale, non exſerens vires ultra ſtatuentis territorium. *Arg. l. fin. D. juriſd. Gotefred. ibid. Gabriel. Comm. opin. libr. 6. de ſtatutis concl. 8. ubi varii. Zoeſ. D. qui teſtam. facere poſſ. n. 52. ibique alii.*

12. Verum ut etiam exempla innoteſcant ſtatutorum perſonalium, & eorundem effectuum, quo regulæ antea allegatæ, inductionibus demonſtrentur; Inquiram utrum ſtatutum; *ut filius-familias poſſit facere teſtamentum*, (quod perſonale eſſe judico, quia habilis ad teſtandum declaratur, qui erat de jure communi inhabilis, eique quid permittitur, de jure communi prohibitum): utrum, inquam, tale ſtatutum, etiam locum habeat extra territorium, & dum alibi facit teſtamentum, & dum diſponit in territorio, de bonis alibi ſitis? Reſp. quod ad primum quæſitum, non dubium, quin ſi alibi teſtetur, valeat diſpoſitio illa, ratione bonorum intra territorium diſponentis jacentium. Quod poteſtas aliquid diſponendi circa ſuum civem, non præciſe arctetur territorio. *Arg. l. fin. D. de decret. ab ordin. faciend. l.* 2. 4. *Cod. Comm. & Mercat.*

Quod ſecundum ſpectat quæſitum, judicàrem illam perſonæ habilitatem ad bona alibi ſita ſeſe non extendere, propter ll. & auctoritates ſuperius allegatas. Adde *Gail.* 2. *obſ.* 123. *n.* 13. & 124 *Poſt Bartol. in l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 40. *Bald. n.* 80. *Gilken. ibidem, n,* 124. 91. *Gomeſ. ad l. Tauri.* 3. *n* 20. vid. *tamen Rodenb. de jure conj. t.* 1. *c.* 1. *per totum. poſt Burgund.* ibidem refutatum ex parte.

Atque hic videtur eſſe ſenſus conſtit. novæ *ordin*, Ultraj. de *ann.* 1659. April, 14. artic. 16.

16. Ubi ſtatutum, de quo agendum ſubſequenti quæſtione, volunt eſſe reale: quod equidem ſic accipiendum exiſtumarem, ut non ſeſe extendat ad bona alibi ſita de quibus forte teſtari poterit minor, licet nondum 16. aut 18. ætatis annum impleverit. Neque enim id eſſe reale hoc ſenſu probabile, quaſi incola Hollandiæ aut loci alterius ratione bonorum hic jacentium teſtari non valeat, niſi ſit 16. aut 18. annis major.

13. Verum an vice verſâ, qui inhabilis eſt in ſuo territorio qualis eſt apud nos ſecundum declarationem ordinum Ultraject. de ann. 1659. April. 14. fœmina 16. annis minor, & maſculus 18. annis minor, alibi, ubi ſecundum jus civile cenſebitur habilis, illa 12. hic 14. ætatis anno, teſtari poterit cum effectu? Non videbitur. Quia habilitas illa, vel qualitas, non poteſt extra territorium addi perſonæ non ſubjectæ; *Arg. l. fin. D. juriſd. Bartol. ad l. 1. Cod. ſumm. Trinit. n. 16. 26. Tiraquell. de leg. Connub. Gloſſ. 8. n. 227. quæſt. 14. Gail. 2. obſ. 124. n. 13. Alder. Maſcard de Interpret. ſtatutor. concluſ. 6. n. 14. vid. tamen Gabriel. comm. opin. concl. 8. de ſtatut. libr. fin. Merend. juris contr. libr. 4. c. 35. n. 4. 8. 9. Mev. ad Lubec. quæſt. prælim. 4. n. 32. & ſeq. Gilken. ad l. 1. Cod. Summ. Trinit. n. 62. 63.*

14. Quid ſi tamen forenſis (qui qualis ſit vid. *apud Maſcard. dict. tract. concluſ. 6. n.*

 212.

Digitized by Google

212. *Barboſ. ad l. 19. §. proinde D. judic.*) uti velit loci alterius ſtatuto, eo ne uti poterit, ſicut ei judex gratificari debeat? Non equidem; neque enim ibi quicquam introductum in gratiam forenſis, aut exteri. Ut quemadmodum non poteſt nolle, ita nec poſſit velle. *l ejus eſt nolle. 3. D. de Reg. jur.*

Et quemadmodum forenſis invitus non ſentit incommodũ ex ſtatuto loci alterius, ita nec volens ſentire poterit talis ſtatuti commodum. *Argum.* à contrario ſenſu. *Roeland. à Valle conſil. 79. n. 35. libr. 3. Tiraq. de jure Primog. q 44. n. 4. Marſil. ſingul. 519. incipit.* Ille qui non ſuſtinet. *Alexand. 7. Conſil.* III.

15, Quid autem ſtatuendum erit de legitimato in uno territorio, cenſebitur ne ratione bonorum alibi jacentium, ubi legitimatus non erat, ſtatutum vires ſuas exſerere; vel an illa qualitas ſeu habilitas, eum ubique locorum, comitabitur, quoad effectum conſequendæ dignitatis, vel ſuccedendi ab inteſtato? Reſpondeo, etſi per legitimationem habilitetur perſona, ut velint DD. qualitatem eam comitari ubique locorum: etiam ex comitate id ſervari poſſit: quia tamen potiſſimum illa legitimatio fit ad effectum vel honoris, vel hæreditatis conſequendæ, in quam nihil juris habet is qui in ſuo territorio legitimavit; exiſtumarem illam legitimationem ad honores ſubeundos & hæreditatem extra territorium capiendam non ſuffi-

ſufficere. *Arg. l. ult. D. juriſd. l. communium, 9. Cod. Natur. liber. c. per venerabilem. qui filii ſint legitimi. Bartol. in l. 1. Cod. Summ. Trinit. Gothefred. in comm. ad d. l. ult. Gabriel comm. opin. libr. 6. de Statut. concluſ. 8. n. 18. Gilken. Cod. ſumm. Trinit. ad l. 1. n. 88. Mantic. de Conjectur. Ultim. volunt. libr. 11. tit. 10. n. 43. Cravett. conſil. 119. Scheplitz. ad Brandenb. Conſtit. folio 242. Perez. Cod. Natural. liber. n. 17. Beſold. de jure Majeſtat. diſſert. jurid. Politic.*

16. Idem quod dicendum, de eo qui alibi extra territorium eſt nobilitatus. Etſi enim illa qualitas ei proſit, ibi locorum, ubi nobilitatur: non tamen proderit extra territorium nobilitantis. Sic enim alteri per alterum fieret præjudicium, & qui eſſet ad dignitates hic ſubeundas inhabilis, per forenſem fieret habilis, etiam invito territorii domino. Ne dicam, quod quemadmodum lex non ſeſe extendit ultra territorium legiſlatoris; ita nec privilegium, aut beneficium in aliquem collatum; utpote quod nonniſi ab eo tribui ſolet, qui ferendæ legis habet poteſtatem. Argum *l. 1. D. de Conſtit Princ. l. 1. §. 42. D. de Aquâ quot. & æſtiv. & per not. in ſeqq.*

17. Quid ſi in uno loco aliquis ſit inhabilis ad adminiſtrandum declaratus, puta ſi ei prodige viventi, bonis ſit interdictum: an ubique locorum, pro inhabili cenſebitur, adeoque interdictum ad bona alibi ſita extendetur?

tendetur? Ita volunt DD. *per l. is cui bonis. D. verb. oblig. l. 10. Curator. furioſ. Gilken. in init. tit. Cod. de ſumm. Trinit. n.* 59. Forte & ea ſententia retinenda, non quod perſonæ qualitas, eam ubique concitetur, etiam ratione bonorum alibi exiſtentium; verum quod ubique locorum prodigo ſit interdictum adminiſtratione; hic vero tantum agatur de modo probandi, aliquem eſſe prodigum, vel non eſſe: qui licet forte variet, pro locorum diverſitate non tamen tollit effectum interdictionis; quod ſufficiat circa probationes ſervari loci ſolemnia ubi fiunt. *Arg. l. 3. in fin. D. de Teſtibus.*

Malim tamen, id ita obtinere; non tam de jure, quam quidem de humanitate, dum populus vicini decreta populi comiter obſervat, ut multorum evitetur confuſio.

18. Quid ſi quis in uno loco ſit notatus infamiâ, an etiam in alio loco, non ſubdito priori, pro infami habebitur? Ita quidem velint DD. *per l. 9. D. de Poſtul. l. 29. D. de Pœn. Bartol. Bald. apud Gilken. Cod. de ſumm. trinit. n.* 120 121. Contrarium potius colligo ex generali regulâ: quod judex nihil poſſit extra territorium, adeoque nec judicis ſententia. *l. fin. D. juriſd. l. 1. D. de offic. Proconſ. l. 3. D. offic. Præſid.* Quinimo uti pœna tempore determinata, contra ſententiæ fidem non ulterius porrigitur, ita nec pœna quæ loco & territorio judicis ſententiam proferentis

proferentis eſt concluſa, *l.* 8. *in fin. D. de Poſtul.* Pari enim paſſu ambulant tempus & locus, ut à tempore ad locum argumentum etiam procedat. *l.* 4. *in medio, D. Condict. Triticar.* Ne dicam argumentum ex *d. l.* 9. petitum commodè retorqueri poſſe. Ibi quippe prohibitus poſtulare in uno loco, adhuc in alio poſtulare non cenſetur eſſe prohibitus; eo quod ſententia Præſidis, ejus provinciam quoad effectum non egrediatur.

19. Quid ſi alicui interdictum arte, vel negotiatione, vel loco &c. an ſententia ſervabitur extra territorium ejus, qui eam tulit aut pronunciavit? Reſpondeo, id quidem jure Romano obtinebat, in illo judice aut magiſtratum ſuperiori, puta in Urbis præfecto, qui vice Principis regebat, ut ſi ſententiam ferat, ea quandoque extra ejus territorium vires habeat, non tamen extra Principis territorium, qui illi id ipſum jure ſingulari concеſſerat. *l.* 1. §. 13. *D. offic. Præf. Urbi.*

Verum tamen, ubi alter magiſtratus alterius non ſubeſt juriſdictioni, ibi equidem ſententia pronunciantis limites egredi non poteſt. Atque in hunc ſenſum DD. ſtatuunt; effectum Banni, extra territorium vires non habere. *Arg. d. l.* 1. *D. off. Proconſ. l.* 3. *D. offic. Præf. l.* 9. *in fin. D. Poſtul. l.* 7. §. 1. §. *interdictum.* §. *ſeq. D. Interd. & Relegat. Bartol. in l.* 1. *Cod. ſumm. Trinit. n.* 50.

Gilken.

Digitized by Google

Gilken. ad d. tit. in init. n. 120. 121. *Marcus Anton. Marſcot. in c. ut animarum. de Conſtit. tom.* 5. *Repet. jur. can. p.* 111. *n.* 20.

Conſuetudine tamen Germaniæ, quoad relegationem, ſecus obtinere, ſic ut & ultra Rhenum & Danubium, adeoque ultra locum, quam quo relegantis juriſdictio ſeſe extendit, relegentur malefici, poſt *Anton. Bernederum, Germaniæ Practicum inſignem, ſcribit Beſold. in delib. jur. ex libr.* 1. *Pand. tit. de offic. Præf. Urbi. n.* 45. Id quod etiam de moribus noſtrarum Provinciarum, vel propter concordata, vel unionem quandoque obtinere, pro comperto eſt habitum.

20. Quid itaque de Tabellione ſeu notario, in uno loco habilitato ut inſtrumenta conſcribat, dicendum: an extra locum, ubi erat habilitatus illud poterit? Non equidem. Abſurdum quippe foret plus juris habere tabularium, quam is habet, qui eum conſtituit. Aut ſi tantundem juris haberet adeoque Tabularii habilitatio referretur ad actum juriſdictionis voluntariæ, uti nonnulli cenſent: non tamen actus juriſdictionis illius voluntariæ alicui inferiori conceſſus, extra territorium exerceri potuiſſet. *Arg. l.* 2. *D. offic. Proconſ. Bartol. ad l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 34. *Arg. l. fin. D. juriſd. junct. l. nemo poteſt.* 70 *D. Reg. l.* 4. §. 6. *in med. D. Offic. Præſ. Boer. deciſ.* 242. *n.* 1. *Gabriel.* 1. *comm. opin. tit. de fide inſtrum. concluſ.* 1. *n.* 5. *Bartol.*

Bald.

Bald. apud Gilken. ad init. tit. Cod. de ſumm. Trinit. n. 90. Coren Obſervat. Cur. Holland. 37, p. 294. 295. ibique Maſcard. & alii.

SECTIO QUINTA

CAPUT PRIMUM.

1. *Utrum Princeps ſtatuta condat ſuper iis quæ jure divino ſunt introducta?*
2. *Utrum rectè ſtatuta condat de negotiis mere eccleſiaſticis?*
3. *An ſtatuto fiat licitum quod aliter in conſcientiâ eſt illicitum?*
4. *An ſtatuta recte condantur, circa ea quæ ſpectant jus naturale, & gentium primævum?*
5. *An ſtatutum valeat ſuper negotiis, de quibus abunde jure civili cautum eſt?*
6. *An ſtatuta valeant, quæ condita contra jus civile?*

1. POſt explicatas difficultates quæ naturam, id eſt definitionem, & diviſiones ſtatutorum, ſpectabant; ordo me deducit, ad objecta ſtatutorum; id eſt ut de rebus

rebus atque negotiis, licitis vel illicitis, ſuper quibus ſtatuta conduntur, meam proferam ſententiam.

Et quidem hic in veſtibulo ſeſe offert circa jus divinum, non una difficultas. Principio, num rectè Princeps ſtatuta condat ſuper iis, quæ jure divino ſunt introducta? Ut ea confirmet magis & ſuæ accommodet reipublicæ, dubium nullum. Ut iis contraria ſtatuta condat, non indiſtincte affirmandum, aut negandum erit.

Vel enim jus divinum, quod hic pro divino aliquo præcepto amplector, eſt mutabile & forte Judaicæ reipublicæ accommodatum, adeoque illi populo ſolummodo datum; & ſpectat negotia ſecularia, aut verſatur circa eccleſiaſtica, ſed politice; & erit in Principis poteſtate, ſtatutum condere illi præcepto contrarium.

Vel divinum præceptum, eſt immutabile inter homines, univerſo generi humano latum, nititurque ratione naturali omnibus communi; nec erit in arbitrio Principis ſitum, ſtatutum in contrarium condere. Neque enim juri naturali hominum immutabili, multo minus divino, Princeps adverſari poteſt. *Argum.* §. 2. 11. *Inſtit. jure natur. gent. civil.* & §. 2. *in fin. inſtit. de Uſufr. verb. nec enim poterat. l.* 15. *D. de Condit. Inſtit. l.* 1. *Cod. de Crimin. Sacril. l.* 4. *D. de Recept. Arbitr. Nov.* 109. *in init. Chriſtin. ad Meblin.*

chlin. in Prælud. num. 20. *Collector. jur. conſuet. Hungariæ & Tranſſylvaniæ. Prologi tit.* 9.

2 An igitur ſtatuta condere poterit de negotiis mere eccleſiaſticis, ut condendo ſtatuta, conſcientiæ caſus quoad hominem internum decidat; aut articulos fidei determinet? Non equidem. 1. Quia ex præſcripto imperatoris Juſtiniani ſacerdotium miniſtrat rebus divinis, imperium nonniſi humanis. *nov.* 6. *& in init. & nov.* 42. *vid. Graſwinck. de juris fundam. contra Jeſuitam. p.* 234. Ut utriuſque diſtinctæ ſint poteſtates, diſtincta officia, adeoque nec eorum confundendum exercitium. *Confeſſ. Belgica. artic.* 30. 31. *Ordin. Eccleſ. Synod. Dordrac. de ann.* 1618. 1619. *art.* 28. Poteſtas quippe Sacerdotis Dei verſatur circa negotia Dei, quà talia; poteſtas Principis circa Principis negotia. Illa circa hominem internum, ſpiritualem; hæc circa externum, Politicum. Illa, à Chriſto ut Mediatore, hæc ut à Domino Deo, dependet. Illa, verbo, prece, predicatione obteſtando, rogando, hortando, inſtruendo, dirigit hominem, ut incrementum capiat ratione vitæ ſpiritualis; hæc jubendo pro imperio, coercendo, cogendo, ſocietati civili conſulit. Illa, ut regnum gratiæ magis magiſque capiat incrementum; hæc ut naturæ regno ſua conſtet auctoritas. Illa quidem poteſtas eſt, & juriſdictio, ſuo modo, ſed ſpiritualis, & quidem miniſterialis;

Digitized by Google

alis; hæc dominica, auctoritativa, ſecularis. Illa ſubſtitutum non habet, nec eſt in capite ſubſtituto; hæc ſubſtitutum admittit, ut vice regem, & poterit eſſe ſubſtituta.

2. Quia ſtatuta demum eccleſiaſtica ſeu canones eccleſiaſticos, ſcil. eccleſiaſtice tantum illi condunt, qui negotia mere eccleſiaſtica tractant: quales perſonæ eccleſiaſticæ, quæ votum habent in Synodis deciſivum. Quales ſolum eccleſiaſticæ perſonæ; non Princeps ſecularis, aut ejus *commiſſarii*. artic. 29. 30. 33. 47. 50. ordin. eccl. de ann. 1619.

3. Quia non Princeps, verum ſacerdos diſcernit inter purum & impurum, quid ſanctum ſit, quid prophanum, explicando. *Ezechiel. c. 44. v. 23.* Ut cui ſoli myſteriorum divinorum concredita eſt diſpenſatio. *1. Corinth. c. 4. v. 1. 2. ordin. Eccleſ. de ann.* 1618. 1619. *artic.* 18.

4. Quia ſacerdos, Chriſti nomine, conſcientiam hominis obligat cujus miniſtrum agit atque mandatarium; ut optime ſenſum ſui domini ſcire præſumatur; adeoque non futurus ſecus hominum ductor, aut doctor, in viâ veritatis. *Argum. l. 6. Cod. Sacroſ. Eccleſ. 1. Corinth. c. 4. v. ult. 1. Corinth. c. 5. v. 20. Matth. c. 10. v. 5. & c. 18. v. 17. Luc. c. 10. v. 16. 1. Theſſal. c. 5. v. 12. 13. Hebr. c. 13. v. 17.*

5. Quia artifici credendum eſt in ſuâ arte

&

& fidendum judicanti de negotio, cui præpoſitus. Ut hominis ſit arrogantis, & extra terminos ſaltantis, qui tantum ſibi de artificio in judicando auctoritatis aſſumpſerit, quantum ipſe artifex; quem in ſuâ arte peritum eſſe convenit, atque habere ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali. *Argum l. 12. D. de ſtat. homin. l. 1. in med. init. D. de ventr. inſpic. l. comparationes. l. plures. Cod. de fide Inſtrum. l. hac edictali. §. hic illud. Cod. de Secund. Nupt.* Quinimo, non aliter atque ſi dubitetur, vulnus ſit lethale, nec ne, ad medicorum recurritur judicium; ſi de finibus finium, ad menſorem itur; ſi de peritiâ ſtudioſi, ad doctorem ſeu præceptorem. *l. 4. Cod. fin. Regund. l. nemini. 14. Cod. Advoc. diverſ. judic. Speculator tit. de Homicidio. verb. ſed pone.* Ita ſi de vitiis aut morbis vitæ ſpiritualis agatur, medicos animarum, atque vitæ ſpiritualis curatores in conſilium adhibere oportebit, qui ſuo conſilio deciſivo, certum, declarabunt, congruenter verbo Dei, quod erat forte controverſum. Et quod de Auguſtino *Petrus Faber. 2. Semeſtr. ult.* Optimus quidem ille Theologus, non æque bonus forſitan ipſe juriſconſultus; id etiam ſacerdos regeret juriſconſulto: Magnus quidem legiſlator Juſtinianus, magnus Conſtantinus, ſed non magnus Eccleſiæ doctor. *Alber. de Nupt. libr. 1. c. 10. in fin. vid. & Confeſſ. Synod.*

Angliæ

Angliæ de ann. 1647. *ſub Rege Carolo. cap.* 32. Id quod eleganter explicarunt imperatores Carol. & Ludovic. in Capitulari *libr.* 5. *c.* 63. Illud ad exemplum reducendum eſt, „ quod in eccleſiaſticâ hiſtoriâ Conſtantinus „ imperator Epiſcopis ait: Deus conſtituit „ vos ſacerdotes & poteſtatem vobis dedit de „ nobis quoque judicandi. Et ideo nos à „ vobis recte judicamur. Et ex Proſpero de „ vitâ contempl. & actual. ipſis ſacerdotibus „ proprie animarum curandarum ſollicitudo „ eſt commiſſa, qui pondus populi ſibi com„ miſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis o„ mnium, velut pro ſuis, infatigabiliter ſup„ plicant Deo: ac velut quidam Aaron, in„ cenſum contriti cordis, & humiliati ſpiri„ tus offerentes, quo placatur Deus, aver„ tunt iram futuræ animadverſionis à popu„ lo. Qui per Dei gratiam fiunt divinæ vo„ luntatis judices. & c. 170. honorem debi„ tum epiſcopis abſque ullâ ſimulatione aut „ detrectatione impendant, eiſque in omni„ bus, ut patribus obediant: & quicquid pro „ ſalute animarum monuerint, prout melius „ potuerint ad implere ſatagant. Verum „ ſubjungam exemplum noſtri ſeculi, quo „ magis conſtet, quid Principi quæſitum „ circa ſacra. Non illuſtre magis eſt, quam illud Jacobi, regis Angliæ in controverſiis fidei ſatis verſati qui ita ſcribit ad candidum lectorem ante Apol. pro juramento fidelit.

„ Chri-

„ Chriſtiano cuique Regi, Principi ac
„ Reipublicæ eſſe conceſſum, externam in
„ rebus eccleſiaſticis regiminis formam ſuis
„ præſcribere, quæ ad civilis adminiſtratio-
„ nis quam proxime accedat, dummodo à
„ Fidei veræque religionis fundamentis
„ nec tantillum abſcedat.

6. Quia cauſæ eccleſiaſticæ, non ſunt cauſæ Principis, adeoque nec ad ſeculare imperium, quale Principis eſt, referri debebunt. 2. *Paralipom.* c. 19. v. 11. *Johann.* c. 18. v. 36. 37. Ut quemadmodum indecens eſt perſonas eccleſiaſticas ſeſe negotiis ſecularibus immiſcere: 2. *Timoth.* c. 2. v. 4. *Marc.* c. 10. v. 42. 43. *Luc.* c. 22. v. 25. 26. Ita etiam incongruum erit, Principem cauſis mere eccleſiaſticis ſemet ingerere. Maxime cum uti dictum, jura Principis & Dei ſint diſtincta: *Argum. Matth.* c. 22. v. 21. Quaſi dicatur ſano ſenſu diviſum imperium cum Jove Cæſar habet. Unde qui iniquum eſſe cenſet, uti iniquum eſt, Aaronem in civilibus Moſi præfici, is etiam ſciat æquum non eſſe, in negotio ſacerdotali, Moſem Aaroni præficere. Utrobique enim par ratio eſt, & qui nec illud patitur, nec hoc affectet; argumento à naturâ oppoſitorum deſumpto. Et quemadmodum nemo noſtrum ſacerdotem velit militem, ita nec militem cupiat ſacerdotem. Non enim conveniunt, aut eâdem manu tractantur, cithera & gladius; arma ſpiritua-

lia &

lia & temporalia. Quodſi tamen quis exiſtumet ſic fieri debere, quia forte extra ordinem, peculiari quo inſtinctu & monitu, & juſſu divino, Princeps eccleſiaſtica, & prophetica tractavit; id quod ſuadent exempla Davidis, Salomonis, aliorumque; is ſciat & ſummum ſacerdotem Jehojada, etiam extra ordinem, & jure tamen, negotia tractaſſe politica, quæque ſtatutum regni ſpectarent, cum ſuis peregiſſe. Ut ſi poſterius exemplum pro regulâ ſervari nolit, etiam priora immerito eccleſiaſticis perſonis obtruſerit.

3. An igitur Princeps ſtatuto poterit facere licitum, quod aliter in conſcientiâ eſt illicitum; & ſubditus parendo tali ſtatuto, eo ipſo, quod à Principe ſit conditum, illæſam ſervabit conſcientiam? Non equidem.

Et quia ſubditus legi quidem civili, adeoque & ſtatuto civitatis obſequium debet; ſed tamen ſalvo jure ſuperioris, puta Dei, cujus juſſui ante omnia ſemet ſubjiciet: non aliter atque de jure feudali, qui fidelitatem jurat Seniori (niſi ſit feudum ligium) ſemper excipit territorii dominum, aut imperatorem. Unde qui ſequitur ductum ſtatutorum humanorum, ita ſequitur, ſi non devient à ſuo Principio, divinâ ſcilicet juſſione. Nam quodcunque bene ordinatum eſt, oportet ut ſit reducibile ad Principium, ex quo ducit originem. Et ſi ab illo diſſentiat principio, errare

potius,

Digitized by Google

potius, quam dirigere ſit dicendum. *c. ſunt quidam*. 25. *q.* 1. *Fortun. Garcias. de ult. fin. juris civil. & canonic. p.* 142. *n.* 201.

Et quia non poteſt Princeps ex injuſtitiâ facere juſtitiam, aut quod ſecundum legem Dei eſt inhoneſtum, honeſtare: niſi velit eſſe Papa in terris, eandemque ſibi poteſtatem conceſſam, quam canoniſtæ Romano Pontifici, de cujus factis diſputare, ad inſtar Sacrilegii foret, quod cœleſte habeat arbitrium. *gloſſ. in c. non nos beatam. diſt.* 40. Quem nemo poteſt reprehendere, licet ſuam & ſuorum fratrum ſalutem negligeret, & ad infernum ſecum traheret. *c. ſi papa diſt.* 40. Et ſi diſpenſaret contra Apoſtolum, vetus teſtamentum *Gloſſ. in* 3. *Decret. c.* 4. *de conceſſ. Præb. c. præpoſuit.* Quin imo ſi aberraret, & mandaret vitia, vetaret virtutes, credendum eſſet vitia eſſe licita, virtutes eſſe illicitas. *Bellarm. de Pontif. libr.* 4. *c.* 5. *contra. c.* 5. *de Teſtam. c. inter hæc* 33. *q.* 2. vid. *Hottom. in Brut. fulmine. p. mihi.* 13.

Et quia non poteſt ullius Principis edictum, vel ſtatutum quempiam eximere nexibus legis moralis; ut quæ diſpoſitioni terreni Principis non ſubeſt, cujus juſſus à lege illa divina, etiam in omnibus cauſis atque caſibus decidendis, habet dependentiam. *Barboſ. ad l.* 4. *Cod. de Summ. Trinit.* Ut hic merito dicatur, jus divinum, pactis hominum immutari non poſſe; *Arg. l.* 38. *D. de Pact.*

H adeo·

Digitized by Google

adeoque excedentem hac in parte ſuæ Poteſtatis limites, non exaudiri. *l. ult. D. de juriſdict. l.* 170. *D. verb. ſignif. Exod.* 1. *v.* 7. 1. *Samuel.* 22. *v.* 17. *Daniel.* 3. *v.* 12. *Actor.* 4. *v.* 19. *&* 5. *v.* 29.

Unde etiam DD. ſtatuunt, Principem de rebus fidei ſtatutum non feciſſe, licet id forte ita videatur, quod non ſit præſumendum, ſtatuentes id ſtatuiſſe, ſuper quibus & de quibus non habebant ſtatuendi poteſtatem. *Alex. vol.* 5. *conſil* 33. *in fin. n.* 16. *Maſcard. de ſtatutor. interpret. concluſ.* 2. *n.* 261. *& concluſ.* 1. *n.* 55. *& ſeqq.*

Et quia declarare aliquid eſſe licitum vel illicitum in conſcientiâ, ſeu in foro Poli, nihil aliud eſt, quam dirigere actiones hominis intrinſece, prout in ordine ad vitam ſpiritualem conſiderantur. Verum id ipſum nulli ſeculari poteſtati conceſſum eſt, aut commiſſũ; ut cui primo & per ſe vitæ Politicæ ſalus & tranquillitas eſt curæ. Ut ad conſcientiam tranquillandum, ſola Dei vox audiri debeat, ab iis prolata, atq; declarata, quibus Deus ſua concredidit oracula. *Matth.* 15. *v.* 9. *Rom.* 13. 1. *Corinth.* 3. *v.* 5. *&* 4. *v.* 1. *&* 2. *Corinth. c.* 5. *v.* 20. 1. *Petr. c.* 2. *v.* 13. *& c.* 5. *v.* 2. 3. *Actor.* 15. *à v.* 6. *Novel.* 137. *in init. Danæus Ethic. Chriſtian. libr.* 2. *c.* 12. *Ameſ. Medull. libr.* 2. *c.* 17.

Et quia Princeps in terris eſt Dei ſervus atque miniſter, qui ſicuti quod agit, mandato peragit

Digitized by Google

peragit illius ſummi legiſlatoris; ſic nec unquam fines mandati excedere debet, aut poteſt; multo minus quicquam agere contra legem ſui domini, *gloſſ. in Auth ad hæc. Cod. de Uſur.*

Quo nomine populus Iſraëliticus non ſecutus per omnia ſuum ducem Moſem, verum in quantum ea, quæ populo præſcribebat, iis erant conformia quæ à Deo ipſi in mandatis erant data: textus expreſſus eſt, *Numer c. 1. v. fin.*

Et denique, quia nihil magis in Principe fulget, quam recta & ſincera fides. *l. 4. Cod. ſumm. Trinit. Barboſ. Cod ibid. n. 5.* Ut illius curæ incumbat, aliquid utile, & Deo placens & gratum peragere; quo divinum numen placari poſſit; quod in Deum ſpes, ſalus ſit reipublicæ; & conformia juri divino ſtatuta, mandatis divinis, conformes leges, tranquillitas ſit eorum, qui à Domino Deo ejus curæ ſunt concrediti. Sic loquuntur Chriſtiani Principes, ſic omnes agere oportet, & ſuam rempublicam adminiſtrare ne iram divinam in ſe, aliter agendo, provocent. *l. 5. in Princ. Cod. Summ. Trinit. Nov. 8. in init. Novell. de lenonibus. 16. Nov. 135. in Princ. Nov. 109. Frederic, Imperator tit. de Pace tenend. in init. Nov. 77. in init. Nov. 85. in init. vid. Procem. Carol. 7. Francor. ad Pragmat. Sanct. ſuper. concil. Conſtant. & Baſil. Fachin. 1 contr. 63. Quettam conſil. 61. num.*

 5. 6.

5. 6. 7. 8. 9. 10. *per Alex. Corneum, Abbatem, Felin. in c. fin. de Præſcript. Oldendorp. in Claſſ. in init. de juris ordinat. Rittersh. ad nov. parat. 2. c. 1. in init. Gotheſred. ad nov.* 105. *c.* 2. §. 4. *litt. K. L. in comm. Ameſ. caſuum conſ. libr.* 1. *c.* 2. *n.* 8. 9. *& ſeq. & libr.* 5. *c.* 41. *n.* 10. 11. 12. 13. 14. *& ſeqq. Grot. de jure bell. & pac. libr.* 2. *c.* 1. *n.* 14. *Anton. Matth. tract. de judic. diſp.* 1. *n.* 32. *Zoeſ. D. de Uſucap. n.* 55. 56. *& ſeqq.*

Hinc in hypotheſi DD. ſtatuunt; ſi ſtatutum uni rem adimat ſine cauſa, & alteri donet, non poſſe donatarium rem donatam in conſcientia retinere. *Petrus Anchoran. in c. canonum ſtatuta, de Conſtit. tom.* 2. *Repet. jur. canon. p.* 105. *n.* 129. *ubi plures.*

4. Verum poterunt ne ſtatuta condi circa ea, quæ ſpectant jus naturale aut gentium primævum? Reſpondeo, ut confirment jus naturale, aut gentium in totum vel pro parte, dubitari non poterit. Quia & jus naturale & gentium, in civitatem recipitur, ſicque comprobatione fit civile. Accedit, quod jus civile non in totum à jure naturali aut gentium recedat. Ne dicam, quod abſurdum non ſit, unam eandemque rem diverſo jure cenſeri; adeoque & juri naturæ, & gentium, & civili annumerari. §. 2. *v. ſic enim & jus. Inſtit. jure nat. gent. civil. l.* 2. *l.* 3. *l.* 6. *D. de juſtitiâ & jure. l.* 45. *D. Ad leg. Aquil.*

Ut

Ut vero ſtatuta tollant jus naturale, aut gentium primævum, & quidem in theſi, non videtur dicendum. Quia hoc ipſum ne quidem Princeps, aut Senatus Romanus per jus civile potuit; adeoque nec id ſtatutis fieri poterit. §. 2. *verſ. ergo ſenatus. inſtit. de Uſufr.* §. *fin. Inſtit. de legitim. agnat. Tutel.* Quæ etiam ratio eſt, quod princeps jure naturæ & gentium teneatur; quod utrumque ipſo principatu potentius ſit; ut & omnibus illis, quæ ex utroque jure deſcendunt, quales ſunt plerique contractus, obligetur. *Bald. ad c.* 1, §. *fin. qui feud. dare poſſ. Caſtrenſ. ad l. digna vox Cod. de leg. Coraſ.* 2. *Miſc.* 25. *Tuſc. concluſ.* 50. *verb. Papa. Salmaſ. diſſert. de fœnor. Trapezit. p.* 401. *Arthur. Duck. Anglus. in tract. de auctor. jur. civil. Roman. libr.* 1. *c.* 3. *n.* 12.

Quinimo uti judex non poteſt cum effectu ſententiam ferre, aut quid jubere contra naturam *l.* 3. *D. quæ ſent. ſine appell. reſcind.* Ita ſtatuta non valent, niſi quæ juſte & ſancte ſunt condita, adeoq; honeſtati naturali convenientia; prout ipſa demum lex valet, quæ jubet honeſta & naturâ civilia, prohibetque contraria, quaſi Dei munus & inventum. *l.* 2. *D. de legibus c. erit autem lex. diſtinct.* 4. *Tiraquell. de Retract. conſang. in proœm. n.* 77. *Cravett. conſil.* 295. *n.* 6. *libr.* 2.

Unde oportet ita ſtatuta condita eſſe, ut à ſapiente reprehendi nequeant, qualia ſunt

Digitized by Google

bonis moribus convenientia. *Argum. l. 15. D. de Condit. inſtit. l. Salvius Ariſto. D. de legat. Præſtand. Hyp. Riminald. in c. quæ in Eccleſiâ. de Conſtit. tom. 2. Repet. jur. canon. n. 5. p. 339. & in Rubr. de Conſtit. p. 83. 153. eod. tom. Menoch. de Præſumpt. libr. 2. præſ. 1. n. 4. Roeland. à Valle libr. 3. conſil. 72. n. 42. Alderan. Maſcard. de ſtatutor. interpret. concluſ. 2. n. 256. 257. & ſeqq. & concluſ. 6. n. 195. & concl. 7. n. 51. Canoniſtæ in c. quod clericis. de foro compet. Chriſtin. ad Mechl. in Prælud. n. 5. idem ad Epilog. n. 6.*

5. Quid ſi ſtatutum aliquod conditum ſit de caſubus & negotiis, ſuper quibus jure civili abunde eſt diſpoſitum? Reſp. Et ſi ſtatutum primâ fronte videri poſſit inutile, in quantum præter effectum per jus commune obtentum, nullum alium producit: quia tamen abundans cautela non nocet, & duo vincula magis ligant, quam unum; uti etiam proviſio hominis, cum legis proviſione concurrens, magis conſtringit; inſuper tale ſtatutum dici poſſet juris civilis probatoriū, in quantum in civitatem receptum eſt; adeoque quod antea erat commune, jam factum eſt proprium, & aliquid operatur; in quantum inducit aliud remedium, præter jus commune: tale ſtatutum non prorſus inutile cenſeri, poterit. Hinc etiam in jure infrequens non eſt, ut una eademque res duabus legibus introducatur, aut confirmetur. *Arg.* §.

2.

2. verb. nam ſurtivarum. Inſtit. de Uſucap. & §. 5. verb. & lege antiquâ. Inſtit. de Exhared. liberor. §. 28. Inſtit. de legat. Baldus de Statutis. q. 3. & in l. 3. in fin. D. de leg. 1. Auguſt. Berous quæſt. 24. n. 3. Burſat. libr. 1. conſ. 44. n. 37. Alexand. conſil. 93. libr. 7. n. 8. Guid. Papæ conſil. 102. n. 1. Chriſtin. ad Mechlin. in Epilog. n. 7. Bender. de Reviſ. concluſ. 20. n. 98. diſſ. Hippol tract. de fidejuſſ. n. 302. poſt. gloſſ. in Auth. de Exhibendis reis in §. quia vero. per rationes commentatoris in 8. ad 1. Reg. Cancell. Dictionarium Alberic. de Roſate in verb. Statutum in addit. ubi Bartol. in l. 1. Cod. de Theſaur. libr. 10. & in l. 3. §. ſi reg. D. leg. 3. l. 4, §. Prætor ait. D. damn. infect. Jaſon in l. Properandum. §. ſin autem. ubi etiam Bartol. & Alexand. Cod. judic.

6. Quid ſi ſtatuta ſint condita adverſus jus civile? Reſpondeo. Si ſtatuta, aliquid introducant quod de jure civili non erat introductum; id eſt aliquem caſum determinent, qui erat de jure civili vel omiſſus, vel non deciſus; quo ſenſu etiam in jure aliquid dicitur eſſe juri contrarium in quantum non eſt ex illo jure: negari non poterit, quin illis, qui gaudent jure condendi ſtatuta liceat aliquid diſponere contra, id eſt præter jus civile. Quod ſi ſtatuta diſponant expreſſe contra jus civile, in quantum illi ex parte vel in totum derogant: talia non introducent

municipia, niſi hoc illis expreſſe ſit conceſſum. *Arg.* §. 2. *verb. quæ ſunt juri naturali contraria. Inſtit. de jur. natur. gent. civil. l.* 32. *D. de leg. l.* 3. §. 5. *D. de Sepulchr. violat. l.* 4. *D. de Decret. ab ordin. faciend. l.* 3. *in fin. Cod. de leg. Authent. navigia. Cod. de Furtis. l.* 1. 2. *Cod. de Decret. Decurion. libr.* 10.

SECT. V. CAP. II.

1. *Num valeat ſtatutum, ne cum peregrino matrimonium contrahatur?*
2. *Ne filiæ nobilium civicæ conditionis viris nubant?*
3. *Ne quis ducat alterius ſectæ fœminam?*
4. *Ut ſponſalia pure contracta, mutuo conſenſu diſſolvantur?*
5. *An ut matre nobili patre ignobili prognatus, ſit nobilis?*
6. *An ut conjux ex mariti debito ante initum matrimonium contracto, etiam in ſolidum obligetur?*
7. *An ut filius, licet non ſit hæres patri, teneatur ad debiti paterni ſolutionem?*
8. *An ne civis originarius alio migret?*
9. *An ut credatur libris mercatorum?*
10. *An ut appellandi facultas alicui ſit adempta?*

11. *An*

11. *An ut liberorum legitima diminuatur?*
12. *An ut in totum tollatur?*
13. *An ne bona per laicos in perſonas eccleſiaſticas transferantur?*
14. *An ne Pontificius ordini alicui adſcriptus, res immobiles extra familiam alienet?*
15. *An illicitum ſtatutum, quo conventicula, pro ſectæ cujuſdam exercitio, vetantur?*
16. *An ut ſectarii ab officiis vel honoribus arceantur?*
17. *An ut naufragorum bona fiſco applicentur?*
18. *An ut in cauſâ homicidii non niſi mulcta pecuniaria exigatur?*
19. *Quid judicandum de ſtatuto, quod exigit, ut ſimplex furtum capite puniatur?*
20. *An ſtatuto introduci poſſit, ut pater de delicto filii teneatur, uſque ad legitimam?*
21. *An ut fidejuſſor admittatur in cauſis criminalibus?*
22. *Objectionibus reſpondetur.*

1. Dicta hactenus quantum ad generalia ſtatutorum ſuffecerint objecta; in ſpecie, & quidem ſecundum varias hypotheſes in nonnulla ſtatuta, quæ aliquam iniquitatem continere videbuntur inquirendum erit; quibus explicatis, cætera omnia ex rationis parilitate nullo negotio ſolvi poterunt.

Et quidem primum inquirendum. An valeat ſtatutum prohibitorium ne cum peregrino contrahatur matrimonium? Reſpondeo, valere. Neque enim illa lex iniqua videri poterit, quæ jubet ut inter cives tantum ſit jus connubii. Ut idem operetur ſtatutū circa qualitatem perſonæ, ſuæ juriſdictioni ſubditæ, quod Romana civitas, circa ſibi ſubjectos. Quinimo ſi valeat hominis privati diſpoſitio, ne Titia nubat Sejo, ne Sejus ex certo loco, ex certâ familiâ conjugem ducat, quid ni id ipſum expreſſo ſtatuto caveri poterit. *Argum. init. Inſtit. de Nupt. l.* 63. *l.* 64. *D. de Condit. & Demonſtr. l. adjicimus* 7. §. 2. *Cod. de Murilegul. lib.* 11. *Comment. marginalia in Sneidwin. Inſtit. de jur. natur. gent. & civil. num.* 22. *ibidemque Bald. in c. clerici. de judic. Alberic. de nupt.* 1. *c.* 18. *p.* 81. *diſſ. videtur Petrus Weſemb. conſil.* 1. *num.* 39.

2. An valebit ſtatutum ne filiæ nobilium civicę conditionis viris nubant, aut vice verſâ? Reſpondeo, valebit. Cum enim præter nobilium liberos ſint in civitate plures, & quidem

dem honeſtæ conditionis puellæ quibus cum & prima & ſecunda dos confertur, non poterit hoc ſtatutum videri iniquum, quaſi libertati matrimonii ullum inferret præjudicium. *d. l. 64. D. de Cond. & demonſtr. l. 42. l. 44. l. 47. l. 49. D. de Ritu Nupt. l. 7. in init. Cod. de Murilegul. libr. 11. diſt. Covarr. de Sponſal. part. 2. cap. 7. & Perez. in Prælect. ad tit. Cod. de Murileg. num. 23. per textum in cap. 29. de Sponſal. & Matrim. & l. 134. D. de verb. obligat. vid. tamen Alberic. de nupt. libr. 1. cap. 3. & Carpzov. juriſprud. Conſiſtor. libr. 2. tit. 1. def. 9.*

3. An ne quiſpiam ducat alterius ſectæ fœminam? Reſpondeo, idem eſſe dicendum. Statutum enim tale quam maximè laudandum, quod amorem inter partes contrahentes vult ſincerum, & concordantia cupit eſſe matrimonia. Præterquam quod tale ſtatutum, intentionem contrahentium promoveat, quæ ut inter conjuges ſuadet omnium bonorum, atque corporis communicationem, ita etiam deſiderat ſacrorum omnino eſſe participationem. Ne jam addam, tale ſtatutum, vel potius talem legem in populo Iſraëlitico obtinuiſſe, ne cum alienigenis jungerentur. Quam etiam ex parte ſecutæ ſunt leges civiles, quæ prohibent matrimonium Judæi cum Chriſtianâ; & vice versâ. Ut tale ſtatutum rationi & æquitati per omnia convenire, ſit dicendum. *Exod. 34. v. 16. Eſr.*

cap. 9. & 10. l. 1. D. de Rit. Nupt. l. 6. Cod. de Judæis. Gotefred. prolixe ad d. l. 6. ibidemque varii allegati.

4. An ut ſponſalia pure contracta, quæ appellant de præſenti, diſſenſu mutuo diſſolvantur? Reſpondeo; & ſi unumquodque communiter eodem modo ſolvatur, quo ligatum eſt: quia tamen in caſu pro propoſito, vertitur commodum publicum, & eadem facilitate nuptiæ diſſolverentur, quod ſecundum canones ratione vinculi ſponſalia de Præſenti nuptiis æquiparentur: cenſerem tale ſtatutum non admittendum eſſe; idque ex illo trito: *Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet. Arg. l. 31. D. de Reg. jur. Modeſtin. Piſtor. conſil. 42. num. 53. volum. 2. Mev. ad jus Lubecenſe lib. 1. tit. 4. num. 11. vid. Nobiliſſ. Schurmannum tractat.* Weechſchale des Heilichdoms.

5. An ut matre nobili, patre vero ignobili prognatus nobilitatem conſequatur? Reſpondeo; & ſi de jure civili juſtis nuptiis quæſiti, ſequantur conditionem patris. Quia tamen juri gentium, aut naturæ non adverſaretur, ſi matris conditionem ſequerentur. Etiam de moribus quorundam locorum ita ſit receptum, puta apud Tricaſſinos, Lovanienſes, Campanos, alioſque ut filii melioris conditionis ſequantur parentes. Nec in totum abhorreat jus civile, ut materna cenſeatur origo, idque ex privilegio: tale ſtatutum nihil iniqui

iniqui continere, judicarem. *Argum. init. Inſtit. de Ingenuis. l. 1. §. 2. D. Ad Municipal. l. 22. l. 29. Cod. de Decurion. quam tamen legem abrogatam vult Cujac. per nov. 38. l. 7. l. 12. Cod. de Muril. libr. 10. Tiraquell. Tract. de Nobilit. cap. 18. num. 23. Cravett. conſil. 829. num. 2. Connan. 2. Comment. jur. civil. cap. 11. Gotefred. prolixe in comment. ad d. l. 1. §. 2. Cujac. ad libr. 4. feud. tit. 32. Deſſel. in not. ad Zoeſ. Comm. inſtit. de ingen. Diſſent. Bartol. in l. exempl. Cod. de Decurion. Quem ſequitur Felinus citat. à Cravettâ. loc. all.*

6. Anut conjux ex mariti debito etiam ante matrimonium initum contracto, obligetur, & quidem in ſolidum? Reſpondeo, licet regulariter alteri per alterum non debeat inferri iniqua conditio. Et quidem de jure civili certis de cauſis uxor mariti nomine non teneretur: *tit. Cod. ne uxor. pro marito.* Quia tamen uxor cenſetur tacite mariti debitum agnoviſſe, in ſtatutum conſentiendo. Atque id ipſum etiam mores Trajectini, non Hollandiæ non Friſiæ, adprobarant: non omnino tale ſtatutum erit repudiandum. *Arg. l. ult. Cod. de Primipil. Rubric. Stat. Traj. 22. art.* 3. Id quod tamen pactis antenuptialibus coram notario factis impeditur, caſu quo excluſa bonorum communio. *Nuper à Ordin. Ultraj. deciſ. de ann. 1659. April. 14 art. 6. Bartol. Chaſſan. apud Mynſinger. cent. 1. Obſervat. 29. Gail. 2. obſerv. 84 num. 11. & 2. obſerv.* 90.

90. in Princ. Treutl. diſput. volum. 1. diſp. 20. theſ. 8. litt. c. Radelant. deciſ. 21. Chriſtian. Rodenb. tract. de jur. conjug. tit. 4 part. ult. cap. 1. num. 9. Sand. libr. 2. tit. 5. def. 8. vid. Leeuw. Parat. juris noviſſ. libr. 4. part. 1. c. 15.

7. An idem in ſimili dicendum de filio, ut æs alienum Patris ſolvere teneatur, etſi non probetur eſſe hęres, aut ſemet ab hæreditate paterna abſtinuerit vel eam repudiaverit? Ita videtur. *d. l. fin. Cod. de Primipil. Petr. Ancher. deatur. Mynſing. 1. obſ. 29. licet id ei durum vi-apud Gail. 1. obſerv. 36. num. 3. ibidemque Alexand. Bald. allegati.*

8. An ne civis originarius alio migret, aut natale ſolum vertat? Reſpondeo, quamvis, non extante ſtatuto, de jure, etiam generali conſuetudine, libera cuique ſubdito facultas ſit conceſſa, quo velit emigrandi, adeoque domicilium ad lubitum transferendi. Attamen ſi onus cæteris civibus impoſitum nimis grave foret diminuto civium numero, quod etiam damnoſum eſt civitati; habita ratione publicæ utilitatis, non poterit videri tale ſtatutum eſſe iniquum. *Argum. §. ult. inſtit. de his qui ſui vel alien. jur. l. 5. §. 3. D. de Captiv. & Poſtl. Reverſ. l. 1. Cod. de Incol. l. ult. Cod. de Municip. & originar. Bartol. ad l. fin. D. de decret. ab ordine faciend. Gail. 2. Obſerv. 36. num. 10. Perez Prælect. in libr. 10. Cod. tit. de Munic. & originar. num. 17. & 18.*

9. An ut credatur libris rationum, ſeu regiſtris uti loquuntur, mercatorum & artificum, licet probationibus teſtium non juventur? Reſpondeo, quamvis exemplo pernitioſum eſſe videatur, quemque ſibi privata teſtatione, ſive adnotatione facere debitorem. Quia tamen hæc eſt mercatorum cura & opera, ut debiti & crediti rationes diligenter conficiant. Etiam in eorum foro & cauſis, ex æquo & bono eſt judicandum. Inſuper non admiſſo aliquo litium accelerandarum remedio, commerciorum ordo & uſus evertitur. Neque enim omnes præſenti pecunia merces ſibi comparant. Neque cujuſque rei venditioni teſtes adhiberi, qui pretia mercium noverint, aut expedit, aut congruum eſt. Non iniquum videbitur illud ſtatutum, quo domeſticis talibus inſtrumentis additur fides, modo aliquibus adminiculis juventur. Quod etiam ad Chartam partitam, fiſſos bacillos, & tranſverſim crenis inciſos, quos **Kerfſtocken** appellamus, recte extenditur.

Sic tamen hæc omnia procedent, ut judicis arbitrium maneat liberum, qui nonnunquam diverſum decernere poterit, Si quid in contrarium circumſtantiæ ſuadeant. *Argum. l. 9. §. 2. l. 10. in init. & §. 1. D. de Edend. l. 5. Cod. de Probat. Ordinat. Urb. Ultraj. ſuper modo Procedendi de ann. 1623. art. 11. Zaſ. conſil. 15. num. 53. volum. 1. Boër. de-*

ciſ.

eiſ. 105. Gail. 2. obſerv. 20. Franciſc. Vivius in tom. Comm. opin. libr. 17. verb ſtatutum. p. 334. ibique multa. Oldendorp. tractat. de Actionibus claſſ. 1. act. 8. in fin. Gilken. in l. 5. Cod. de Probat. Cravett. de Antiq. tempor. part. 1. num. 27. & ſeq. p. mihi 32, 33. Hieron. Treutl. ſelect. diſput. volum. 2. diſp. 4. theſ. 2. conſ. juriſc. Batav. part. 1. conſ. 204. 313. diſſ. Hunn. ad Treutl. d. l. p. 424. ibidemque alii.

10. An illicitum ſtatutum, quo appellandi facultas alicui aufertur? Reſpondeo, quod non. Etſi enim ſtatutum alicui auferre nequeat defenſionem ſui, cum id ipſum ne quidem poſſit Princeps, ut quæ juris eſt naturæ. Quia tamen non omnis defenſionis modus, aut ſpecies eſt juris naturæ; uti bellum. Etiam jus civile non in omni cauſâ, nec ab omnibus admittit appellationem, ut aliquibus in caſubus non ſine ratione certum defenſionis modum alicui deneget. Quin amplius, alicui conceſſum eſt appellationis remedio renunciare, tanquam beneficio ſibi competenti. Nec minor eſt efficacia ſtatuti in caſu propoſito, quam eſt privatæ conventionis, ſi non major: quod ſecundum DD. ſtatutum ſit pacto potentius. *Georg. natt. in c. quamvis. de Pact. in 6. Tom. 5. Repet. jur. canon. pag. 237. n. 39.* Cenſerem licite appellandi licentiam ſtatuto poſſe auferri. Neque hic diſtinguo inter cauſas civiles & criminales; cum etiam

in

in criminalibus multarum civitatum moribus, jus appellandi ſit ſublatum. *Argum. l. 1. § ſi quis. D. A quibus appell. non licet l. ult. §. ult. Cod. Tempor. Appell, l. 34. & ſeq. Cod. de Appell. tit. Cod. quorum appell. non recip. & tit. Cod. ſi de momentan. poſſeſſ. l. fin. in fin. Cod. de fidejuſſ. Zoeſ. D. à quibus appell. non licet. num. 8. Hunn. ad Treutl. volum. Poſter. diſp. 33. quæſt. 1. in fin. Chriſtin. Prælud. ad ll. Mechl. num. 18. ibidemque varii. Volumen Conſiliorum juriſc. German. part. 3. Conſil. 22. num. 5. & conſil. 15. diſting. Bartol. in l. omnes populi. D. de juſtitiâ & jure num. 27. Matth. Weſembec. tom. 6. Conſil. 328. num. 19. gloſſ. in Rubric, Cod. decret. Decurion. libr. 10. Maſcard. concluſ. 7. dè interpret. Statutor. n. 41. Bort peculiari tractat. de appell. in cauſ. Crimin. Diſſ. Arum. diſc. public. 9. tom. 2. theſ. 118. Mynſ. 1. obſ. 14. ordin. camer. part. 2. tit. 28. Jacob. Thoming. conſ. 24. per totum. Treutl. diſput. 33. volum. 2. theſ. 1. ad litt. a. ibidemque varii allegati. & poſt eundem Anton. Matth. tractat. de Judic. diſp. 12. num. 20, 21. Ex parte Beſold. delibat. jur. ad libr. 49. tit. 2. quæſt. 3. Bender. tractat. de Reviſ. concluſ. 29. per totum.*

Nullo tamen modo valere poteſt ſtatutū, quo parte inaudita alterâ fertur ſentētia condemnatoria. Quia licet aliquis defenſionis modus, alicui ſtatuto poſſit auferri, qualis erat appellatio: non tamē illa dēfenſio, quæ juris

eſt

eſt naturalis; non tamen omnes defendendi modus, quem etiam ſuaſit exemplum divinum. *Geneſ. c. 3. v. 8. 9. 10. c. 1. de Cauſ. Poſſ. & Propriet. Andr. ab. Exea in c. canonum Statuta. de Conſtit. in 2. Tom. rep. jur. can. n. 246. & ibi Jaſon. Zaſ. Hyppol.*

11. An illicitum cenſeri poterit ſtatutum quo liberorum legitima diminuitur? Reſpondeo, quod non. Neque enim legitima jure naturæ præciſe eſt determinata, ut augeri vel minui poſſit. Quin imo de jure civili fuit aucta, ut cum antea in omnibus liberis eſſet quarta, jam ſit aut triens aut ſemis, pro numero liberorum. Cumque ejus quota ſubjaceat juris civilis diſpoſitioni, negari non poterit, quin etiam juri ſtatutario ſubeſſe poſſit. *Argum. l. 8. D. de Reg. jur. Decius ad d. l. §. ult. Inſtit. de legit. Adgnat. tutel. l. 6. §. ſin autem. Cod. de Secund. Nupt. Novell. 18. Mynſinger. cent. 5. obſervat. 43. Gail. 2. obſerv. 122. num. 11. Fachin. 4. controverſ. 32. Zoeſ. D. de Inoffic. Quærel. num. 109. vid. Hieron Treutler. conſil. 41. num. 19. & num. 113. Volum. conſil. juriſc. Germ. part. 3. conſil. 65. num. 2. 3. Claud. Chifflet. de Portionibus. cap. 3. Gabriel. comm. opin. 6. de legitima. concluſ. 1.*

12. An igitur in univerſum ſtatuto tolli poterit? Id videtur dicendum. Cum enim legitima jure humano ſit introducta, licet congruenter affectioni illi naturali, quam parens habet erga liberos. Et ab eo dependeat

pendeat

pendeat ejus obligatio, adeoque præſtatio. Etiam eapropter dicatur ex legibus eſſe debita. Inſuper miles, ſi militari jure teſtetur, liberis legitimam relinquere non teneatur; qui tamen in teſtamenti factione non niſi juris civilis ſolemnibus eſt ſolutus, ut jure naturæ debita videri non poſſit. Idem quod de matre illuſtri dicendum, in ordine ad ſpurium, modo habeat legitime natos. Jure itidem Moſaico non paſſim filiabus legitima paternæ hæreditatis conceſſa fuerit, quibus in totum extantibus maſculis eadem adempta. Tale ſtatutum nihil iniqui in ſe continere dicendum erit. Quod tamen ſic accipi velim, ut non in omnibus caſubus tale ſtatutum valeat, verum quando urgens ratio, aut publica utilitas hoc ſuadet. Quo caſu etiam quod jure naturæ ſeu ſecundum affectionem naturalem eſt debitum, qui ſenſus eſt *l.* 7. *in fin. D. Si tabul. teſtam. null. extab.* propter rationem fortionem poterit eſſe non debitum, ut in filio ingrato, qui etiam legitimâ, aliter ſibi debitâ, juſtâ de cauſâ defraudatur. *In ſcript. l.* 4. *D. de Inoffic. Teſtam. l.* 6. §. *ſin autem. Cod. de Secund. Nupt. l.* 9. *l.* 24. *Cod. de Inoffic. Teſtam. l.* 5. *Cod. Ad ſenat. Orſit.* — *Numer. cap.* 36. *v.* 6. 7. 8. 9. *Alexander conſil.* 3. *volum.* 7. *Beuſt. ad l.* 1. *D. de jurejur. p.* 128. *Fichard. in Tom. comm. opinion. libr.* 17. *verb. Statutum. p.* 354. *Bened. de Capra comm. opin. verb. legitima: Zoeſ. D. de Inoffic.*

offic. Teſtam. num. 109. Claud. Chifflet. de Portion. cap. 3. Diſſ. Matth. Weſemb. volum. 7. conſil. 328. num. 7. & apud Sneidw. nonnulli citati inſtit. de jur. natur. Gent. & civili num. 23. in margine. Anton. Matth. diſput. de legitim. theſ. 2. vid. & Acacium Enenck. Baronem de Privil. Parent. & liber. privil. 14. cap. 12. Et Coppen obſerv. Practic. 121. poſt alios ibidem diſtinguentem.

13. An illicitum ſtatutum, (de quo controverſia fuit, inter Pontificem, & Rempublicam Venetam) ne bona per laicos, uti loquuntur, transferantur in perſonas eccleſiaſticas, ſine licentia ſuperioris? Reſpondeo, etſi libertati eccleſiæ non facile debeat fieri præjudicium: ſi quæ libertas jure debita eſt eccleſiæ. Quia tamen bonum publicum tale fieri ſtatutum nonnunquam exigit. Et civitates ſecundum illos, qui talia condunt ſtatuta, ſubſidio carent collectarum, etiam ſubditorum numero: quod clerici ſecundum illos, etiam eorum bona, ſint exempta juriſdictioni magiſtratus Politici. Neque adverſatur legibus perſonas eccleſiaſticas, eorumque bona, ſuadente utilitate etiam collectis, aut tributis gravari. Exiſtumarem tale ſtatutum nihil illiciti continere. *Argum. l. 1. D. Solut. Matrimon. l. 7. Cod. de S S. Eccleſ. Argum. c. ſi imperator. 96. diſtinct. c. pervenit de immun. Eccleſ. Argentr. ad conſ. Brittan. art. 346. Goris tract. 3. Adverſ. cap. 8. Tholoſ. libr. 45.*

Synt:

Synt: jur. cap. 2. n. 8. Arum. diſcurſ. Academ. de jur. Publ. 9. num. 106. & ſequent. part. 2. vid. Molin. ad conſuet. Pariſienſ. §. 41. num. 90. 91. 92. 93. 94 diſſ. *apud Gail. 2. obſerv. 32. num. 3. Cevall. comm. contr. comm. q. 388. Anto. Matth. diſp. ult. poſt ſucceſſ. n. 18. ibique DD.*

14. An igitur illicitum cenſebitur in Belgio fœderato ſtatutum, quo prohibitum, ne Pontificius ordini alicui pſeudo-eccleſiaſtico adſcriptus, res immobiles extra familiam alienet? Reſp. licet quiſque ſit arbiter & moderator rerum ſuarum, in tantum ut de iis diſponendi liberam habeat facultatem. Neque cuiquam hominum, ne quidem per Principem facile jus ſibi competens ſit auferendum. Quia tamen reſpublica eſt ſuprema domina, & moderatrix. Etiam bonum publicum exigit ut tale condatur ſtatutum. Inſuper etiã familiarum conſervatio id ſuadet. Dicendum erit ipſum nihil iniqui in ſe continere. *Argum. §. 2. verb. Dominorum quidem, inſtit. de his qui ſui vel alien. jur. junct. l. 6. Cod. Unde vi. l. ita vulneratus. verb. multa autem. D. Ad l. Aquil. l. 21. Cod. Mand. l. 1. §. fin. Cod. de Caduc. Toll. l. 17. §. 1. l. 18. Cod. de Haeret. & Manich. l. utilitas Cod. de Primipilo. libr. 12. Socin. Bald. Hippol. aliique allegati apud Gail. 2. obſerv. 32. num. 5. 6. 7. Arum. de jure public. tom. 2. diſc. 9. theſ. 111. Rittersh. ad Nov part. 1. c. 6. in fin. Conſtit. Ordinis Provinc. Ultraj. de ann. 1644 Dec. 17.*

15. An illicitum cenſebitur ſtatutum, quo conventicula pro religionis, aut potius ſectæ cujuſdam exercitio privato vetantur? Reſpondeo, & ſi conſcientiæ libertas ſtatutis tolli nec debeat, nec poſſit; ut quæ nulli mortalium, potentiſſimo licet, verum ſoli Deo ſubjecta eſt. Quia tamen conventus agere plus eſt, quam conſcientiæ gaudere libertate. Etiam quam maxime intereſt reipublicæ tales conventus impediri: ut qui turbent reipublicæ tranquillitatem; inque ſeditiones facile erumpere queant. Non dubium quin tale ſtatutum licite condatur. *Argum. l. ita vulneratus. verb. multa autem. D. Ad l. Aquil. l. utilitas, Cod. de Primip. lib. 12. l. 2. in init. Cod. de Summ. Trinit. l. 3. 5. 6. Cod. de Hæret. & Manich. l. 6. & 7. in fin. Cod. Pagan. Sacrific. Petrus Frederic. Mindan. de Proceſſ. Execut. libr. 1. cap. 30. Arum. diſcurſ. Academ. publ. 12. cap. 9. num. 20. part. 2.*

16. An illicitum judicandum ſtatutum, aut contra jura civilia conditum, quo Hæretici & Sectarii ab officiis aut honoribus arcentur, vel etiam tabernas, aut officinas habere prohibentur? Reſpondeo, etſi eadem onera cum cæteris ſubire cogantur, ut etiam videantur ad honores aut officia ex æquo eſſe admittendi. Quia tamen non eadem utrobique eſt ratio, quod hæreſis ſit odioſa, adeoque indigna favore; ſic ut in odium ſectæ aut hæreſeos onera cum cæteris ſubire cogantur.

gantur. Etiam metus eſt diſſenſionis, & periculum perturbationis quietis reipublicæ. Cum ubi religionis diſſenſus, in diverſa ſtudia colliment diſſentientes. Nec cuiquam ſubditorum fit injuria, præſertim ſi non admittatur, aliud dicendum ſi ejiciatur, ut cui liberum alio ſeſe conferre. Dicendum, illud tanquam bono publico conveniens, non tantum licitum fore, tale ſtatutum, ſed etiam introducendum eſſe. *l. Secundum naturam. D. de Regul. jur. ibidemque DD. Comment. Argum. l. unic. Cod. de infam. l.* 12 *Cod. de Decurion. l.* 15. 19. *& ſeq. Cod. Epiſcop. Audient. l.* 8. *Cod. de Defenſor. civit. Argum. l. utilitas Cod. de Primipil. l.* 1. *& Authent. item Privilegium. l.* 2. 4. *in init. l.* 7. *l.* 12. *l.* 18. 20. *Cod. de Hæretic. & Manichæis l. ult. Cod. Judæis l.* 9. *Cod. de Diverſ. offic. Nov.* 37. *in Princ. Martyr. claſſ.* 2. *loc. comm. c.* 4. *n* 40. *nec obſt. l.* 3. §. *fin. D. l.* 49. *Cod. de decurion.* Id enim per imperatores *Chriſtian. correctum. vid. Hunn. ad Treutl. de tutel. vid. Cujac. p.* 800. *nov.* 45.

17. Verum an recte, ſtatuto introducetur, ut naufragorum bona ad littus appulſa, fiſco vindicentur? Reſpondeo, & ſi talem conſuetudinem apud Anglos, Gallos, Hiſpanos, communem teſtentur; ut videatur idem ſtatuto indici poſſe, quod conſuetudine: Quia tamen hæc ipſa conſuetudo impietatis & crudelitatis eſt pleniſſima, quod afflicto ſuperaddat

peraddat afflictionem, & alicui rem ſuam ſine cauſâ, ſine aliquo ſuo facto auferat. Nec fieri debeat ſtatuto, quod non debet conſuetudine. Dicendum erit, tale ſtatutum omnino improbandum eſſe. *l. id quod noſtrum. 11. D. de Regul. jur. l. 8. D. Ad l. Rhod. de jactu. Authent. Navigia. Cod. de furt. Carol. 5. Conſtit. Crimin. art. 218. Et ita in Camerâ deciſum eſſe refert Gail. 1. Obſervat. 18. per totum, ibidemque varii allegati. Arum. tom. 2. diſcurſ. Academ. de jur. Publ. tom. 9. num. 115. & ſeq. part. 2. Zoeſ. D. Ad l. Rhod. de jact. num. 10. 11. 12. vid. & Bodin. 1. de Republ. cap. ult.* Prolixe auctor Batavicæ Arcadiæ, ibique noſtratium & aliorum mores allegati.

18. An ut in cauſâ homicidii nonniſi mulcta quæ pecuniaria exigatur? Reſpondeo. Etſi quævis civitas ſibi poſſit condere ſtatuta, non tamen id poterit in omni caſu. Præſertim in caſu, quo ſtatutum juri divino & gentium adverſatur. Verum cum tale ſtatutum, omni juri eſſet contrarium; inſuper iu perniciem tenderet humani generis; etiam ad delinquendum invitaret; ſicque grande delictũ, quaſi impunitum foret: tale ſtatutum in civitate condi non poſſe, dicendum erit. *l. inter claras. & ſeq. Cod. de Summ. Trinit. l. jus agnationis. D. de Pactis. l. 2. Cod. de In jus vocando. l. 51. D. Ad l. Aquil. l. 11. D. quæ ut indign. Baldus de ſtatutis. quaeſt. ult. num. 6.*

Barboſ.

Barboſ. in axiom. verb. Pœna. n. 11. Zoeſ. D. de Pœn. n. 17.

19. Quid judicandum de ſtatuto, quod exigit, ut ſimplex furtum capite puniatur? Reſpondeo, & ſi in cauſâ ſervi de jure civili nonnunquam ad ultimum ſupplicium deveniatur: etiam Conſtitutio Frederici imperatoris idem fere decernat in libero homine: nec in totum ab eâ recedat Carolina: & ei pro parte accedat ſtatutum urbis Ultrajectinæ. *l. pen. in init. D. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut. libr. 2. tit. 27. §. 9. de Uſibus feud. Statut. Ultraj. Rubric* 39. Quia tamen jure divino ſecus obtinuit. Neque proportio eſt inter vitam & bona. Hominiſque liberi corpus nullam recipit æſtimationem. Malim in illam inclinare ſententiam, quâ tale ſtatutum improbatur. Niſi tamen propter conſequentiam, & creſcentibus delictis, pœna ultimi ſupplicii in fures decreta fuerit. *Exod. 22. v. 1. & ſeq. Argum. l. 3. D. Si quadrup. pauper. feciſſ. dicat. l. 13. D. Ad l. Aquil. l. ult. D. de deject. & effuſ. Petrus Martyr claſſ. 2. cap. 11. num. 33. Danæus Ethic. Chriſtian. ad 8. Præcept. Prolixe Anton. Matthæus tract. de Crimin. libr. 47. D. tit. 1. cap. 2. per totum. Et cap. 3. num. 10. Argum. l. 1. D. de Abigeis.* Vid. *Artic. militar. cum Pappi comment.*

20. Verum an ſtatuto induci poterit, ut pater legitimam poſt ſuam mortem filio debitam,

 bitam,

bitam, vel pœnam pecuniariam ad legitimæ quantitatem teneatur perſolvere, propter delictum à filio commiſſum? Reſpondeo, & ſi legitima filio non ſit debita niſi poſt mortem patris. Nec delictum unius debeat alterum prægavare. Quia tamen delictum filii in poteſtate, quaſi in delicto conſtituit patrem; utpote cui incumbebat filium bonis moribus inducere. Etiam aliquis poteſt, de jure humano ob alterius crimen affici pœnâ quapiam pecuniariâ, ſi in legem latam conſenſerit. Et ubi tale ſtatutum, etiam eſt conſenſus ſaltem tacitus, ſi non expreſſus, eorum, qui ſtatuentibus ſubſunt; ut non habeant, quod conquærantur ſe propter delictum alterius puniri: dicentum erit, ſtatuto recte id induci. *Argum. §. final. Inſtit. de Obligat. quæ quas. ex delict. l. 5. §. 5. verb. ideo ſi filius familias. & §. 6. D. de obligat. & Action. vid. l. 58. D. de Reg. jur. ibidemque DD. l. 2. Cod. de libert. & eor. liber. Stat. ordin. Friſ. libr. 2. tit. 2. §. 28. Prolixe Covarr. variar. Reſolut. lib. 2. cap. 8. num. 7. Treutl. vol. 1. diſp. 13. theſ. 17. & 24. theſ. 14. vid. Peck. ad c. 86. de R. jur. in 6. Marſil. ſing. 36. Vivium in tom. comm. opin. libr. 17. p. 349. verb. Statutum. cum variis limit. & diſſentientibus ibid. Arg. c. 2. de Delictis Puerorum, ubi canoniſtæ. Cujac. ad l. unic. Cod. de Peric. ſeorum qui pro magiſtr. interv. libr. 11. Argentr. ad conſ. Britt. art. 526. n. 11. Anton. Matth. tract.*

de

de Crimin. in Proleg. cap. 1. num. 14. & ſeq. & tit. de Pæn. c. 4. n. 2. vid. Acium Enench. Baron. de Privil. liber. & Parent. privil. 9. ſub finem, & Privil. 14. c. 10. n. 14. 48. DD. ad l. 1. Cod. ne filius pro patre.

22. Verum, quid judicandum de ſtatuto, quo admitteretur fidejuſſor in criminalibus cauſis, id eſt, ut ſponſor ſeſe ſubmittat damno quocunque, per legem propter aliquod crimen infligendo? Sunt qui diſtinguunt inter fidejuſſorem de ſiſtendo reo, & inter eum, qui ad pœnam irrogandam ſemet obligat. Sunt qui inter pœnam pecuniariam, & corporalem differentiam ſtatuunt. Sunt deniq; qui inter jus Dei, & jus hominum diſcrimen faciunt. Quaſi tribus prioribus modis procedat de jure fidejuſſio, non tribus poſterioribus. Ego potius rejectis illis diſtinctionibus libere tuebor, hoc ſtatutum, quo in criminalibus cauſis, etiã capitalibus, admittitur fidejuſſor, non omnino improbandum eſſe. Suadet hanc ſententiam jus divinum; quo etiam in aliis facta & delecta aliorum puniri poterunt: crimina parentum in filiis; igitur & propter delicta parentum; auctoritate 2. *Præcepti in Decalogo. Exod. 20. v. 5. non obſtante loco Ezechiel. c. 18. v. 2. 3. 4. 5.* Qui referendus ad Euangelicam promiſſionem, non ad legale præceptum; ad hoc quod Deus velit facere, non quid jure ſuo poſſit. Suadent divina exempla, quibus peccata prædeceſſorum poſteris im-

putata fuerunt, adeoque alterius nomine, qui formaliter peccavit, licet poſteri per imputationem, pœnas ſuſtulerint. Ita Sacrilegii nomine ab Achane commiſſo, *Joſua c.7. v.* 20. non tantũ ipſe qui deliquerat, verum etiam utriuſq. ſexus liberi puniti fuerunt, *v.* 24.

Et quicquid commiſerant primi noſtri parentes, juſto Dei judicio poſteris imputatum fuiſſe, in iiſque vindicatum, probat *cap.* 5. Ad Romanos. Ne jam exemplum proferam benedicti noſtri Salvatoris, qui pro nobis apud Patrem, ut univerſi Rectorem, atque Moderatorem, pro nobis miſeris peccatoribus, ſe ſtitit vadem, ſponſorem, atque fidejuſſorem; eam pœnam, quam nos laturi fuiſſemus, in ſe ſponte & volens, non coactus, boni publici cauſâ, & amoris erga nos, ſuſcipiendo.

Verum ut inclareſcat magis hæc mea ſententia, duas poſitiones formabo. Prima erit, quod fidejuſſor ſe poſſit obligare ad pœnam capitis. Secunda, quod puniri poſſit capitis pœnâ, idque alterius nomine.

Prima poſitio vel hinc paret quod ut ſeſe obligare poſſit ad pœnam capitis aut ultimi ſupplicii, tantum deſideretur ut faciat actum, qui poſſit mereri ultimum ſupplicium; idque vel ob delictum præſens, vel futurum. Sic de jure civili, qui aliquem capitalis criminis incuſabat, in ipſum crimen inſcribebat, ut ſi non probaſſet crimen, eam pœnam eſſet ſubiturus,

iturus, quam tuliſſet reus, ſi convictus ſceleris fuiſſet. *l. fin. Cod. de Accuſ.* Quinimo Commentarienſis, cuſtos rei criminalis, ſi eundem culpâ ſuâ dimiſiſſet, etiam ultimo ſupplicio affici poterat. *l. 12. D. de Cuſtod. & Exhibit. Reor. l. 4. Cod eod.* Et fidejuſſor, ni ſtiterit facinoroſum; ultimi ſupplicii reum ſe facit; idque ſecundum ſententiam Regiam. 1. *Reg. c. 20. v. 38. & ſeqq.* modo ita fuerit conventum. Quo etiam referri poterunt exempla. *Geneſ. 42. v. 37. & 43. v. 9. Joſ. 2. v. 12. & ſeqq. & 6. v. 22. 23.* Id quod juri civili congruum, quo fidejuſſor, ſi aliquâ ſuâ culpâ vel dolo, reum non ſtiterit, quem ſiſtere debebat, non tantum & pecuniariâ mulctâ venit condemnandus, ſed & corporali pœnæ quandoque ſubjiciendus. *l. 4. D. Cuſtod. & Exhib. reor. l. 13. Cod. fidejuſſor.*

Altera poſitio: ſcil. quod fidejuſſor pœnâ capitis, propter alterius crimen, vel alterius nomine, poſſit affici. Tum jure civili, & canonico; tum rationibus; tum jure gentium, & exemplis; tum locorum ſtatutis, confirmari poterit.

Equidem jus civile, admittens primæ poſitionis veritatem, poſtremi poſitioni non adverſatur. Si enim ex conventione quis ſemet poteſt ad capitis pœnam obligare, quid ni etiam poterit ſemet eidem pœnæ ſubjicere, quam reus principalis tuliſſet ſi modo tale quid fieri reipublicæ interſit. Neque enim illo

caſu magis eſt, membrorũ ſuorum dominus, quam caſu poſtremo. Et ſi propter aliquod ſuum factum, qui ſiſtere promiſit reum, ſub capitis periculo, ultimum patitur ſupplicium. Quid ni propter hoc ipſum factum, hanc ipſam voluntatem, quod ſe in locum rei principalis ſubſtituat, eam perferret pœnam, quam pertuliſſet criminis capitalis reus.

Non equidem hic diſtinguit jus civile inter fidejuſſorem de judicio ſiſti, quaſi ille tantum corporaliter poſſit puniri, & inter fidejuſſorem ſimpliciter datum, ad hoc ut ſubeat pœnam, quam tuliſſet reus Principalis. Leges enim generaliter loquuntur, & totum hoc negotium pro perſonarum, & criminum qualitate, magiſtratus ejus, qui ſummum habet imperium, committunt arbitrio. Quod non feciſſent, ſi in criminalibus capitis pœnam concernentibus, nunquam admittendus eſſet fidejuſſor. tunc enim judicis arbitrium fuiſſet coarctatum. *lex* 1. *D. Cuſtod. & exhib. Reor. Et l.* 3. *D. eod.* ſimpliciter fidejuſſorem admittit, exceptis cauſis graviſſimis; non quod in iis non ſit admittendus fidejuſſor, verum quod ille præter pœnam corporalem etiam meritus ſit carceris ſqualorem. Hæc eſt ratio juriſconſulti, non alia: qui ſi fidejuſſor in illâ cauſâ intervenire non potuiſſet, hanc rationem allegare debuiſſet, quod in cauſis pœnam corporalem merentibus

rentibus

rentibus non ſit admittendus fidejuſſor. Quin imo in illo crimine, quod exigit neceſſario cuſtodiam, quale non ſemper eſt pecuniariū. per. *d. l.* 3. *& nov.* 134 *c.* 9. ſi quiſpiam, vel quæpiam incuſetur, fidejuſſorem dando ſimpliciter, liberabitur, graviſſimo ſolummodo crimine excepto, proculdubio majeſtatis, quo caſu, cuſtodiæ muliebri, aut clauſtris monaſticis erit committenda. *Nov.* 134. *c.* 9.

Nec diſſentit jus canonum. *in c. cum homo* 23. *q.* 5. Ubi refert Auguſtinus, *reum capitis ſuum decepiſſe fidejuſſorem, atque hunc pro iſto, legitimo ſupplicio fuiſſe affectum.* Non ex hypotheſi, ſi forte alibi talis eſſet conſuetudo, ſed probando illam ſententiam, quod judicem punientem fidejuſſorem, extra culpam conſtituat, qui judex, ſi jura nihil tale admitterent, extra culpam conſtitui nullo modo potuiſſet.

Non item deſunt rationes, quibus ſententia mea confirmari poteſt. Si enim ex contractu, vel delicto, alicui poteſt imputari, idque ſuâ voluntate, quod debebat alius quis, qui contraxit, vel deliquit, etiam ad hunc effectum, ut infamiâ afficiatur, quæ ipſâ morte major eſt. Quid ni etiam quod reus criminis debebat, alteri puta fidejuſſori imputari poterit, ſi velit in locum rei ſuccedere; ejuſque ſubire vices, idque publicâ conſentiente auctoritate. Non aliter enim atque obligatio ex crimine eſt quid perſonale

Digitized by Google

ita & ex delicto, vel contractu, quæ oſſibus perſonæ contrahentis inhæret. Ut non magis hæc ipſa alicui poſſit imputari eam in ſe ſuſcipienti, atque illa. Aut ſi quis poteſt velle, hanc ſibi imputari, etiam illam ſibi imputari, quaſi ipſe crimen commiſiſſet, velle poterit. Ita Apoſtolus Paulus ſibi vult imputari delictum ab Oneſimo ſervo commiſſum; quale etiam jure Romano, (erat enim fur & fugitivus,) pœnâ corporis fuit punitum, *ad l. 3. Cod. & Auth. ſeq. Cod. de ſerv. Fugitiv. Gothefr. in comm.* Ut abſurdum omnino non videatur, delictum unius, quod corporis meretur cruciatum, alterum in ſe recipere. Et ſi poteſt velle, alterius crimen ſibi imputari alter; quid ni poterit alterius loco puniri. Tum quippe pro reo & nocente moraliter habetur; adeoque pœnâ illa dignus; quam reus principalis ſubire debuiſſet. Exemplum iterum proferam in commentarienſi, qui licet nihil dignum fecerit morte ut qui forte in culpâ levi aut latâ aut dolo, quæ tamen ſingula mortem non merentur: attamen ultimo ſupplicio erit afficiendus. *d. l. 4. Cod. de Cuſt Reor.* Non aliâ de cauſa, quam quod in ſe ſuſceperit, ſua conventione, ſive expreſſa, ſive tacita, dum in Commentarienſem eligitur, cuſtodiam rei, ſub capitis periculo. Adeoque ſe paratum pati declaraverit ultimum ſupplicium, modo evaſerit non fortuito, quem ad pœnam perferendam

exhibere

Digitized by Google

exhibere atque ſiſtere debuiſſet. Ut hic manifeſtum ſit exemplum, quo quis propter alterum qui evaſit non tamen propter ſuum factum, quod non merebatur capitis pœnam, idque ex conventione vel quaſi, (nam Ariſtoteles delicta contractus appellavit involuntarios) ultimo ſubjicitur ſupplicio. Quid quod ipſi milites cuſtodes, eo ipſo, de jure civili, periculo capitis ſeſe ſubjiciant, ſi is cujus cuſtodiam in ſe ſuſceperant, lata eorum culpa, evaſerit, & ſi illa culpa, citra illam conventionem, expreſſam vel tacitam, ſeu citra officium, quod conſenſum requirit ſuſcipientis, adeoque conſenſum in omnia negotia, quæ comitanter officium, capitis pœna vindicanda non eſſet. *l.* 12. *l.* 14. *D Cuſtod. & exhib. Reor. Arg. l.* 7. *D. de Tutel.*

Accedit & altera ratio: Si quis ſemet poteſt pro incolumitate patriæ devovere, ſic permittente ſupremo magiſtratu, & ſuadente utilitate publica; quid ni etiam pro criminis capitalis reo, ſi in eo conſervando, maxima patrię cernatur utilitas, ut præſtet quaſi unum perire, quam ut utiliſſimo reipublicæ membro è medio ſublato, univerſus populus periret. *Arg. Johan. c.* 18. *v.* 14. Nulla enim hic poterit diſſimilis allegari ratio. Si enim dicatur, civē patriæ vitam debere, reſpondebo, & amico noſtro aliquo in caſu, vitam deberi, ut illius vita, noſtrā debeat eſſe carior; id quod jure Romano in ſervis admiſſum,

admiſſum, quorum vita domini vitâ erat poſt-ponenda. *l.* 1. §. 28. *D. Silanian.* Unde ſi talis ſit amicus quem ſalvum eſſe, interſit reipublicæ, quid ni ejus loco extrema quis tulerit. Maxime ſi illi tantus debitor, quantus domino ſervus.

Quid quod gentium jura admiſerint obſides, qui ſub periculo capitis pro fide, atque promiſſis ſuorum concivium facti ſunt ſponſores. Ut etiam fidejuſſores in criminalibus ſub pœnâ mortis poſſint admitti. Neque argumentum hoc infrigitur, eo ipſo, quod obſides dentur inviti, nec ſint ſponſores. Nihil quippe facit ad momentum cauſæ, quod inviti dentur. Quid ſi enim inter cives reperiantur, qui volentes vadimonium pro populo ſubire velint an ideo incipiet jus obſidum eſſe iniquum? Quin imo vel eo magis procedit noſtrum argumentum, quod inviti ſubjiciantur pœnæ, quam alius eſt meritus, multo magis volentes, modo publica auctoritas & utilitas hoc ipſum ſuadeat, ut propter delictum alterius, tali pœnæ ſubjiciantur. Accedit, quod obſides fidem ſuam pro civibus interponant, & nihil aliud ſint quam ſponſores reipublicæ, uti fidejuſſor regulariter eſt privatorum ſponſor. Ut in argumento ab obſide deſumpto, non ſit ratio diverſitatis in caſu propoſito. Ut enim obſes conſentit in pœnam ex delicto ſuorum civium, ſi illi fidem fallant, & eo ipſo habetur moraliter

pro-

Digitized by Google

pro nocente: & ita ſibi vult imputari, quod faciunt ſui; ita & fidejuſſor, ad pœnam ſemet obligat, propter delictum alterius, quod ita accipi vult, quaſi ipſe hoc delictum commiſiſſet, adeoque reatum in ſe transferri cupit interpretative.

Nec deſunt exempla populorum, qui veluti tacito quopiam conſenſu, pro jure talia facta admiſerunt. Celebrata ſunt exempla Dæmonis & Eucriti, quorum ille pro Pythia, hic pro Euephemo, ad mortem damnatis, apud Dionyſium, Siciliæ Tyrannum, mortis ſponſores ſeſe conſtituerunt.

Notiſſimum Appii Claudii Romani Conſulis exemplum, qui obſides trecentos, ex gente Volſcorum bellum redintegrantium, in forum adduxit, atque ſpectante Romano populo & approbante virgis cæſos, ſecuri juſſit percuti. *Dionyſ. Halicarnaſſ. libr.* 6. Nec obſcurum Eduardi, regis Angliæ factum, qui Scoti Guilielmi Setonii præfecti Bervici filium, obſidem ſibi datum, in crucem egit, quod pater fidem datam non ſervaſſet. *Buchan. Rerum Scotic. libr.* 9.

Huc etiam referendi mores antiquorum, ubi vades in pœnam ultimi ſupplicii, & dati aſſumpti fuerunt. *Teſte Vallâ* 6. *Elegant.* 32. *vid. DD. apud Hering. de fidejuſſ. c.* 3. *n.* 43. *Gregor. Tholoſ. Synt. libr.* 19. *c.* 13. *n.* 3. & *libr.* 24. *c.* 3. *n.* 12.

Unde etiam ſtatuto caveri poſſe, ut in cauſis

Digitized by Google

cauſis capitalibus admittantur fidejuſſores, idque ſub periculo capitis, eandem ſcilicet pœnam ſubituri, quam reus meritus fuiſſet, ſtatuunt bene multi. apud *Speckhan. loc. antea allegat. vid. & Menoch. 2. caſ. 303. n. 15, 16. & Duen. 2. Regul. Fallent. juris Regula 323. circa finem. Grot. de Satisfactione Christi adverſus Socinum. Acacium Enench. Baron. in uno caſu. tract. de Priv. Parent. & liber. Privil. 3. c. 6.*

Quinimo idipſum in regno Neapolitano obtinere, DD. allegati probant; hocque quondam Kennemerlandiæ ſtatuto obtinuiſſe, refert *Leeuwen Paratit. juris noviſſ. libr. 4. c. 2. part. 1. p. mihi prioris editionis 229.* ubi ex archivis loca varia huc facientia allegat.

22. Neque obſtat *l. 13. in init. D. Ad l. Aquilian.* ubi dicitur, neminem eſſe dominum ſuorum membrorum. Reſpondeo enim 1. Nemo eſt dominus ſuorum membrorum, in quantum non poteſt abſolute de ſe ipſo diſponere, nec in ſe habet vitæ aut necis poteſtatem, nec eſt in ſuo ipſius dominio, aut proprietate, uti quidem olim erant mancipia, quorum membra, & omnia dominicæ ſuberant poteſtati; & quidem in tantum, ut domini in eos vitæ neciſque haberent poteſtatem, membris eorum, olim abuterentur ea, etiam in gratiam cujuſdam, corporis cruciatibus ſubjicere potuerint.

Et

Et ſi aliunde damnum ipſorum membris eſſet illatum, dominis in damnum inferentes daretur actio ex l. Aquilia, in quantum illa membra, illud corpus eſt æſtimabile pretio, cum liberi hominis corpus non eſſet in commercio, adeoque nec re nummariâ poſſit æſtimari. *l.* 3. *D. Si quadrupes pauper.*

2. Nemo ſic eſt membrorum ſuorum dominus, ut non etiam reſpublica, aut ſummi rectores, ſint domini ſupremi, quibus invitis uti de bonis non recte diſponunt ſubditi, ita nec de ſuis membris. In quantum intereſt reipublicæ, ne quis ſuâ, & ſuis membris utatur male. Ut ſi interſit reipublicæ, aliquem in alterius delinquentis locum ſubſtitui, id etiam fieri poſſit. *Arg. §. fin. inſtit. qui ſui vel alien. jur. l.* 1. *D. qui ſui vel alien. jur.* Non aliter atque repugnabat legibus, civem Romanum, patrem-familias, ſemet alterius poteſtati ſubjicere, adeoque ſe met adrogandum alteri dare, injuſſu populi Romani, cujus conſenſu, ut poſtmodum adprobatione Principis adrogatio peragebatur, accedente conſenſu ipſius adrogandi. Ut ita deſignaretur, tum aliquem de ſe ipſo, de ſuis membris, de ſuâ vita, alterius poteſtati ſubjicienda (nam jure antiquo pater in filiumfam. jus vitæ neciſque habebit) poſſe diſponere, cum accedit conſenſus Populi vel Principis. *l.* 2. *in med. init & l.* 21. *ibique Gothefred. in not. D. de Adoption.*

3. Non obſtat regula propoſita in *d. l.* 15. Quia patitur exceptionem in caſu extremæ neceſſitatis, in caſu publicæ commoditatis, cui conſulendum eſt, etiam cum damno privatorum. Quia & illo caſu, aliquid fit licitum, quod aliter eſſet illicitum; & in theſi non admittendum, in hypotheſi admittendum erit. *Arg. l. 2. D. Juſtit. & jur. junctâ l. 35. D. de Religioſ. & ſumpt. funer.*

4. Nemo eo ipſo, quod ſe ſiſtat fidejuſſorem in cauſâ criminali, membrorum ſuorum vult offenſionem, tanquam finem, verum tantum patitur, non invitus, membrorum offenſionem, ut medium, ut conditionem antecedentem; non aliter atque qui periculo ſe ſubjicit morris, pro patriæ incolumitate. Ut tantum pro fine ſibi propoſitam habeat rem bonam, opus bonum, licitum, honeſtum, laudabile, ſalutem univerſitatis, propter quam periculum mortis, quæ per accidens advenit, intrepide vult ſubire.

Non obſt. 2. *l.* 20. *l.* 26. *D. de Pœnis l. ſancimus. Cod. eod.* Quod peccata ſuos teneant auctores. Adeoque non debeat abſolvi nocens, & puniri innocens *l.* 5. *D. de Pœnis.* Et quia qui ſe ſiſtit fidejuſſorem, illo ſuo facto ſe reddidit nocentem: & moraliter obligationis auctor cenſetur, qui illam in ſe ſuſcepit: & per interpretationem, & imputationem pro nocente habetur, qui in nocentis locum ſuccedit, ſuâ voluntate, conſentiente

rectore

rectore ſupremo, & id ſuadente publicâ, utilitate: non aliter atque id uſu evenire obſervamus in obſide à civitate dato, qui licet innocens, pro nocente tamen habetur, ſi reſpublica nocens declaretur. Quinimo uti actiones ex contractubus ſunt perſonales & oſſibus perſonæ inhærentes, ceduntur, & ita ceſſione creditum tranſit in ceſſionarium, ac ſi ipſe creditor eſſet, & debitum novatione factum tranſit in novantem, ejuſdem voluntate; ita etiam delictum ab uno commiſſum boni publici gratiâ, volenti fidejuſſori imputatur. Neque dicendum inter obligationem ex contractu, ad pœnam pecuniariam, & ex crimine ad pœnam corporalem diſparem eſſe rationem. Quod priori in caſu detur repetitio, ſaltem poſſit dari, ejus quod datum eſt, non caſu poſteriori. Quia ſæpiſſime fidejuſſori in cauſis civilibus intercedent, inec datur nec dari poteſt regreſſus adverſus reum principalem; quia id ſibi, & ſuæ facilitati imputare debebit, quod, cum ſciret, ſe repetere non poſſe, quod vult expendere in gratiam rei, id tamen volens præſtiterit. Exempla ſunt in fidejuſſore, qui pro minore 25. annis, pro ſervo, pro furioſo, pro impubere, proque omnibus illis, qui aliquâ perſonali exceptione tuti ſunt, (quales, ſocii, maritus, cedens bonis ſuis, aliique *l. 7. D. Except*) interceſſit.

Præterquam, quod ad eſſentiam fidejuſſionis

onis non ſpectet, repetitio ejus, quod pro reo principali eſt expenſum. In eo quippe tantum conſiſtit natura fidejuſſionis, ut quis ſolvere promitttat, quod alius debet, ſalvâ manente principalis debitoris obligatione. Quæ tamen extincta cenſebitur, ſimulac, quod debebatur, fidejuſſor ſolverit. Etſi ejus recuperandi quod ſolvit, pro reo principali, non habeat mandati actionem. Id quod evenit, ſi pro nolente, & invito, ſemet ipſum interpoſuerit, adeoque ſorte amore rei, fidejuſſerit. *l. 40. l. 53. D. Mandati.*

SECTIO SEXTA

CAPUT PRIMUM.

1. *Conficiendorum ſtatutorum olim reſtrictior, quam moribus erat poteſtas.*
2. *Utrum condere ſtatuta, ſit juriſdictionis?*
3. *Utrum Epiſcopus poſſit condere ſtatuta?*
4. *Utrum Rex, dux, marchio &c.?*
5. *Utrum Senatus in civitate liberâ?*
6. *Utrum municipia?*
7. *Utrum Academia?*
8. *Utrum familiæ ſingulares?*

9. U-

9. *Utrum Doctores & Profeſſores?*
10. *Utrum collegia licita?*
11. *Objectionibus reſpondetur.*
12. *An Synodi?*
13. *An imperator poſſit canones condere?*
14. *Statuta dum conduntur à municipiis, omnes oportet eſſe vocatos, qui ſunt de Municipio.*
15. *Et valent, licet omnes non adfuerint.*
16. *Singulorum tamen requiritur conſenſus, Si tale quid exigat ſtatutum.*
17. *In Senatum municipii, ſi jus condendi ſtatuta collatum non opus erit civium peæſentiâ.*
18. *An requiratur Principis conſenſus, ut ſtatuta valeant?*
19. *An ſufficiat antecedens, an & conſequens requiratur?*

1. Conficiendornm ſtatutorum poteſtas, olim erat reſtrictior, quod tantum præter leges, non autem adverſum leges eâ condere fuerit permiſſum. *l,* 3. §. *divus Hadrianus. D. Sepulcr. violat. l.* 2. *D. offic. Præf. Prætor.*

Verum de moribus major condendorum ſtatutorum licentia datur, ut quæ juri civili dero-

derogant, quod nonniſi deficientibus ſtatutis apud nos locum habet. *Gail. 2. obſ. 124. n. 2.* Ego *pecul. tract. de auctor. juris civil. in Belgi fœder.* Id quod etiam ex clauſulis multorum ſtatutorum plus quam manifeſtum eſt; in quibus ſtatuitur deficientibus demum ſtatutis in cæteris ad jus civile recurrendum eſſe. Quia vero poteſtas illa ſtatutorum condendorum ſpectat cauſam efficientem, circa eam ad intellectum materiæ, varias examinabo difficultates.

2. Et quidem in principio ſeſe offert illa difficultas: Utrum ſtatuta condere ſit juriſdictionis, an ſimplicis tantum permiſſionis? Reſpondeo, cum paſſim in jure omnibus iis jus condendi ſtatuta, ſit tributum, quibus aliqualis competit juriſdictio. Negari non poterit, quin ſtatuta condere ſit juriſdictionis; id eſt, iis tantum conceſſum, qui gaudent aliquali juriſdictione. Non tamen id affirmandum erit ad excluſionem permiſſionis. In quantum nulli licitum, etiamſi habeat juriſdictionem, ſtatuta condere, niſi cui hoc ipſum ſit permiſſum. *l. 1. D. de Damn. Infect. l. 32. in init. D. de leg. l. 26. D. Ad Municipal. Bartol. in l. omnes populi in 1. quaeſt. Princ. num. 3. D. de Juſtit. & Jur. & quos commemorat Jaſon in l. 2. Cod. quæ ſit long. Conſuet. Barbatia de Præſtant. Cardinal. 8. 9. part. 1. n. 1. Chriſt. ad ll. Mechlin. in prælud. num 6. Volum. Conſil. Juriſc. German. part. 1. conſil. 39. num.*

num. 12. *Diſſent. Jaſon in l. omnes populi. D. de juſt. & jur. p.* 1. §. 1. *n.* 30. *& ſeq. &* 4. *ſeq. n.* 27. 28. *Jacob. Thoming. tom.* 1. *conſil.* 24. *num.* 6. *ibidemque varii citati.*

3. Cæterum quis poſſit condere ſtatuta, & quidem an Epiſcopus in ſua Diœceſi ſeu Provincia ambigitur? Reſpondeo, affirmativa quidem illis placet, qui juriſdictionem aliam faciunt ſpiritualem, aliam ſecularem, ſeu eccleſiaſticam vel civilem. Quales qui juris canonici auctoritatem ſequuntur. Id quod admittunt, ſi quando conſenſus accedit capituli. *Marc. Anton. Mareſcot. in c. ut animarum. de Conſtit. tom.* 5. *Repet. jur. can. v.* 53. *p.* 116. Verum quia illam juriſdictionis diſtinctionem non agnoſcimus; neque juris condendi poteſtas conceſſa eſt epiſcopis; ut qui nec forum, nec apparitionem, nec èxecutionem habent; jure merito iiſdem ſtatuta condendi deneganda facultas *l.* 3. *l.* 8. *Cod. de Epiſcop. Audient. & Cujac. in Parat. Cod. ibid. l.* 25. *in init. Cod. de Epiſc. & Cleric. nov.* 123. *cap.* 21. *& cap.* 24. Quinimo in *Nov.* 123. *c.* 21. res executioni mandatur per judicem ſecularem. Et ipſe Epiſcopus coram ſeculari ratione delicti communis conveniebatur. *c.* 24. *d. nov.* 123.

Nec obſt. *Nov.* 79. Quia ut prior per ſubſequentes eſt explicanda.

Non etiam obſt. *Nov.* 8. *c.* 9. quia tantum in defectum judicum relatio fit ad Principem,

cipem, qui coercebit delinquentes, non vero epiſcopus.

Non obſtat inſuper, quod dicatur Epiſcopus habere forum *l. 6. Cod. Epiſc. Aud.* Ibi enim ad forum, non ſequitur executio per eundem. Sic enim & Pedaneus forum habet in quantum quis coram pedaneo convenitur in loco judicii. Nec tamen Pedaneus habet executionem, aut juriſdictionem. Non denique obſtat, quod epiſcopus coërceat delicta. Quia coërcitio canonica, qualis eſt per excommunicationem, per cenſuram, nihil habet commune cum juriſdictione. Aliter & Patri, & Domino, & Præceptori, competeret juriſdictio, quibus tamen jure tribuitur aliqua coercitio in ſuos, quæ nihil aliud eſt, quam delictorium emendatio. *tit. Cod. de Emend. Prop. & de Emend. Servor. Anton. Matth. Tract. de Judic. diſp. 2. de Juriſd. num. 44. Diſſ. Jaſon in l. omnes populi. D. juſt. & jure. loc. ante cit. Octavian. Veſtrius p. mihi 32. Bocer. Claſſ. 1. diſp. 3. num. 39.*

4. An id poterit Rex imperio ſubjectus in ſuo regno, Dux in ducatu, Marchio in marchionatu, Comes in comitatu, ut liber Baro in ſuo territorio? Reſpondeo, quod ita. Illi quippe immediatè imperatori ſunt ſubjecti, adeoque ſummi in ſuâ ditione poſt imperatorem. Argum. *l. 2. Cod. de Offic. Præf. Prætor. Orient. l. 16. Cod. de Judic. Ordin. Cameræ part. 1. tit. 57. de juram. judic. & Aſ-*

ſeſſ.

Digitized by Google

ſeſſ. Bartol. in l. omnes populi num. 8. de Juſt. & Jur. Cujac. 6. obſerv. 10. Jaſon. in d. l. omnes populi. §. 20. vid. Franc. Vivium in tom. Comm. opin. libr. 17. in verb. ſtatutum. p. 342.

5. An id poterit Senatus in civitate imperiali liberâ, uti vocant, quæ nonniſi imperatorem recognoſcit? Affirmativa placet. Tantundem enim is poteſt in ſuâ republicâ, quantum Imperator in Imperio. Accedit quod talis civitas introducere valeat conſuetudinem, ut multo magis poſſit introducere ſtatutum. *l. 9. D. Ad leg. Rhod. de jact. l. 37. D. de Rebus Auctor. Jud. Poſſ. ſeu de Privil. cred. l. 3. §. 4. D. Quod vi aut clam. Bartol. in d. l. omnes populi. num. 2. Zaſ. ibidem num. 11. Gail. de Pac. Public. lib. 1. cap. 6. num. 10. & 11. ibidemque alii relati. Canoniſtæ, in c. quod clericis de Foro compet. Emanuel Soares Theſaur. Recept. Sent. in verb. ſtatutum. ibique alii.*

6. An municipia? Idem dicendum. Sunt enim Magiſtratus in municipiis principes cæterorum. Ut quemadmodum appellatione conveniunt, ita & ſimiliter re conveniant. Et quod lex in imperio, id erit in municipiis ſtatutum ſeu decretum: quę etiam ad exemplum, lex ſæpiſſime appellatur. Ne dicam municipia ubique fere locorum juriſdictione munita eſſe, ut leges locales condere iis ſit permiſſum. *l. 15. §. 9. D. de Excuſ. Tutor. l. 6. in Princ. D. Quod Cujuſque Univ. Nomin.*

l. 3.

l. 3. §. 4. verb. hoc ita. D. Quod. vi aut Clam. l. 3. & ult. D. de decret. ab ordin. fac. l. 26. D. Ad munic. l. 1. Cod. Emanc. liber. Mevius ad jus Lubec. Prælim. quæſt. 2. num. 50. & ſeq. Decker. diſſert. libr. 2. diſſert. 5.

7. An Academia? Quod affirmandum, modo habeat aliqualem juriſdictionem. Pari enim paſſu ambulant, ſtatuta condere, & aliqualem habere coërcitionem. Scilicet, quæ ſit juriſdictionis. Argum *l. 6. D. Quod cujuſque Univerſ. nom. l. 25. D. Ad Municip. junctâ l. 1. D. de damn. inf. l. 26. D. Ad munic. l. 17. §. 1. D. Qui & à Quibus Manum. Authent. Habitâ. verb. verum tamen. Cod. Ne filius pro patre. Beſold. diſſert. jurid. Polit. de juriſd. Academ. cap. 6.*

8. An familiæ ſingulares? Reſp. Non defuerunt qui illud aſſererent. Inter quos allegati apud *Jaſon. in l. omnes populi. D. juſt. & jure. n. 42.* Verum cum familiæ nec juriſdictionem, adeoque nec coërcitionem habeant. de quâ, *in l. ult. D. de offic. ejus cui Mand. eſt juriſd.* Dicendum videtur, etſi certa pacta ſint familiarum, iis tamen vim ſtatutorum non ineſſe. Aſt ſi acceſſerit ſupremi conſenſus & auctoritas, negandum non erit quin illis pactis juri publico poſſit derogari. *l. 38. D. de Pact. l. 20. in init. D. de Relig. & ſumt. fun. l. 55. D. de legat. 1. l. 15. §. 1. D. Ad leg. Falcid. Zaſ. conſ. 1. volum. 2. Gail. 2. obſerv. 127. Schrader. de Feud. part. 7. cap.*

4. num.

4. num. 54. Roſenthal. de feud. c. 7. axiom. 57. vid. Tiraquell. de jure primog. q. 16. n. 17. Vult. de feud. libr. 1. cap. 7. n. 48. Heigius quæſt. 23. num. 40. & ſeq.

9. An Doctores & Profeſſores, idque in gratiam ſuorum diſcipulorum? Non videtur. Neque enim privati jus ſtatuta condendi habent, ut qui omni carent juriſdictione, Sic ut illi, in quorum gratiam ea condunt, ad obedientiam cogi non poſſint. Ex officio tamen, id eſt honeſtatis ratione ſi quas regulas ſtudiorum gratiâ, ſuis præſcribant diſcipulis, illi ſemet talibus ſubjicient; non aliter atque parentibus obſequia præſtant liberi. Argum. *l. liberto. & ibi gloſſ. D. de obſeq. Parent. Præſt. l. 4. Cod. locat. in ſimili Boër. deciſ. 155. num. 29. Angelus & Alexander in l. ſi non ſpeciali. 9. & l. ult. Cod. de Teſtam apud Schneidewin. numer. 19. ad §. jus autem civile. Inſtit. de jur. nat. cent. civil.*

10. An collegia licita, qualia ſunt corpora Piſtorum, Naviculariorum &c.? Reſp. Etſi talia collegia ſibi aliquem ordinem præſcribant, decreta condant, & ſecundum ea qui ſunt in collegiis, invicem ſint obſtricti. Cenſerem tamen illa decreta ſtatutorum vim non obtinere. Neque enim talia collegia publica ſunt, nec ſinguli in collegiis, publicis funguntur muneribus. Quicquid ſit, id certum eſt, non eandem eſſe rationem collegiorum, quæ eſt municipiorum. Ut dicendum ſit collegiorum

legiorum jura potius pactorum ſeu conventionum, quam ſtatutorum nomen mereri. *l. ult. D. de Colleg. & Corpor. l. ult. Cod. de juriſd.* Diſſ. *Sneidwin. ad §. jus autem civile. num.* 15. *Inſtit. de jur. nat. gent. & civil. Bocer. Claſſ.* 1. *diſp.* 3. *de form. & mod. conſt. jur. num.* 40. *& varii citati apud Berlich. deciſ.* 150.

11. Nec obſtat quod Collegium alicujus negotiationis judices dare poſſit, adeoque juriſdictionem habere videatur. *l. 3. in fin. D. juriſdict. l. ult. Cod. de juriſd. omn. judic.* Neque enim *d. l. ult.* aſſerit à negotiatoribus vel opificibus judices dari poſſe; ſunt enim illi omnes privati. *l. 3. Cod. eod.* Verum municipia, rempublicam, judices dare poſſe, negotiatores, opifices, qui de talibus negotiis judicent, id vero innuit. Idque non ſine ratione, quod illi artifices optime de rebus ſpectantibus ipſorum opificium & negotiationem poſſint judicare: ſiquidem artifici credendum in arte ſuâ. Arg. *l. 1. in init. D. de ventr. inſpiciend.*

12. Verum, an non collegia vel potius eccleſiaſticæ congregationes, qualia Concilia aut Synodi, ſtatuta condere poterunt eccleſiaſtica? Reſpondeo, ut proprie loquendo ſint ſtatuta, quibus etiam quis in foro ſoli ligetur, & coërceatur, ſi eadem violaverit, non videtur affirmandum. Ut tamen in conciliis eccleſiaſticos canones, ſeu regulas, condant, ſpectantes fidei normam & mores

& diſci-

Digitized by Google

& diſciplinam eccleſiæ, quibus obſtringantur eccleſiæ membra, quoad hominem internum; idque ſpirituali aliquá juriſdictione, ſuo modo; (quæ tamen non eſt ſpecies juriſdictictionis illius, quæ externum hominem coërcet) etiam, ſi approbatæ ab Imperatoribus, quoad externum hominem, modo verbo Dei congrue atq; convenienter ſint conſtitutæ; de omni jure indubatum eſt. *l. 7. §. 4. Cod. Summ. Trinit. l. 8. §. 3. Cod. Eod. Nov. 42. in fin. Nov. 83. c. 1. Nov. 131. c. 1. Actor. cap. 15. Inſcriptio Ordin. Eccleſ. Synod. Dordrac. de ann. 1618. 1619. & artic. fin. dict. ordin.*

13. An idem de imperatore ſtatuendum? Ut condat ea, quæ externum hominem ſpectant, adeoque extrinſece circa eccleſiæ negotia ordo ſervetur, pacique publicæ iſtâc ratione conſulatur, in quantum ex illo Conſtantini, eſt Epiſcopus extra, nemo proteſtantium ambigit. Ut vero canones eccleſiaſticos, formaliter ſic dictos conſtituat, fidei doctrinam, & eccleſiæ regimen intrinſecum ſpectantes, nemo dixerit, niſi qui imperatorem in rei veritate, formaliter, & eminenter velit Papam, aut eccleſiæ Patrem ſpiritualem. Ratio eſt, quia in conciliis ubi canones & regulæ eccleſiaſticæ conduntur, ſolummodo Chriſtus eſt univoce eccleſiæ Princeps, in re ſpirituali; ſupremus autem præſes atque judex Deus per Scripturam; quan-

quandoque externi ordinis, præſes imperator; & eccleſiaſticæ perſonæ ibidem congregatæ donis & vocatione inſtructæ, quales Apoſtoli, Presbyteri, eccleſiæ doctores, ſub Chriſto judicio miniſteriali judices, ut quibus ſolis Chriſtus domus ſuæ ſpiritualis adminiſtrationem demandavit. Ut præter perſonas enumeratas aliæ non deſiderentur, quæ regulas ad ſubſtantiam rei eccleſiaſticæ ſpectantes, conſtituant.

2. Quia uti diſtincta ſunt collegia, nec invicem ſubordinata adeoque toto genere diverſa, reſpublica & eccleſia, ita & diverſæ ipſorum regulæ, diverſa juriſdictio; illa ſecularis, hæc ſpiritualis, illa dominica mixtum vel merum imperium habens conjunctum; hæc miniſterialis, ſine ullâ externâ coërcitione: ut alterum in alterius jura involare nequeat. *Artic.* 30 *confeſſ. Belgicæ. artic.* 71. *ordin. Eccleſ. de ann.* 1618. 1619. Et quemadmodum ſacerdotium non fert imperio leges, ne quidem in iis negotiis, ad quæ oportet utriuſque concurrere adminiſtrationem, aliâ tamen atque alia ratione: ita nec imperium ſacerdotio præſcribit canones eccleſiaſticos, quos à ſolo Chriſto, & miniſtris ſeu mandatariis Chriſti, ſufficienti mandato inſtructis, accipit. 3. Quia ſi imperator regulas eccleſiaſticas conderet, ſequeretur, eas non amplius eſſe regulas eccleſiaſticas, verum leges: cum

Digitized by Google

cum quicquid imperatori placet, legis habeat vigorem. *l.* 1. *D. Princip. Conſtit.* Verum eas ipſas leges non eſſe, quod legibus imperatoriis, & ab imperatore latis contradiſtinguantur, pateſcit ex *Nov.* 131. *c.* 1. Ubi ſancivit imperator Juſtinianus, *ut canones vicem legum obtinerent*; ſcilicet qui antea ſolum ab eccleſiaſticis erant conditi, eoſdem poſtmodum *ſicut leges* vult obſervari imperator. Cum tamen quæ decreta ab imperatore condita, non ut leges obſervanda, ſed quia reverâ ab initio leges erant. Ut canones vicem legum habere dicantur, poſtquam ab imperatoribus ſunt probati, non ante, quod tantum ab iis conditi, qui legum ferendarum poteſtatem non habebant, quales erant in officiis eccleſiaſticis conſtitutæ perſonæ. 4 Quia & ipſi imperatores Chriſtiani exſerte ſtatuunt in Conciliis, in Synodis, à Sanctis Patribus, Epiſcopis, Presbyteris, eccleſiæ doctoribus non à ſe, factas eſſe regulas. *l.* 3. §. 3. *l.* 7. §. 4. *Cod. de Summ. Trinit.* Eaque *ſynodorum non ſua appellant dogmata. Nov.* 131. *c.* 1, *à conciliis expoſita aut firmata,* quæ ipſi ibidem ſequuntur, non faciunt.

Cui conſona ordin. Eccleſ. de ann. 1618, 1619. Quæ id juris eccleſiaſticis collegiis tribuit. *art.* 49. 50. Eoque etiam nomine iiſdem, ampliatio, diminutio, alteratio, dictorum canonum eccleſiaſticorum conceditur

tur. *artic. fin. d. ordin.* 5. Quia imperator, vel ſummus magiſtratus dum ordinis ratione conciliis præeſt, ne qua cauſa detur confuſionis, aut tumultus, neve ad rixas & contentiones tranſeant eccleſiaſtic (alio in conciliis Pręſide collegii eccleſiaſtici conſtituto in quantum ibidem de negotiis agitur eccleſiaſticis, quibus non præſidet imperator *nov.* 6. *in init.*) tantum ſuffragio quo gaudet deliberativo, non vero deciſivo. *artic.* 54. 41. 50. *ordinat. Eccleſ. de ann.* 1618, 1619. quod illis tantum competit, qui debitis pietatis & doctrinæ donis, legitimâ vocatione inſtructi, eccleſiaſticis cauſis atque quæſtionibus decidendis dati ſunt. Ut iniquum ſit virum Principem illis ſemet immiſcere. *Actor.* 15. *l.* 4. *verb. uam injuriam facit. Cod. de Summ. Trinit. Danæus ad* 2. *Quæſt. ſibi Propoſ. de auct. Magiſtrat. in Synod & Claſſ.*

Negari tamen non poterit, quin imperator, vel ſupremus in ſuo territorio, canonibus eccleſiaſticis auctoritatem ſuam accommodet, quo publice ſerventur, quo ſingula eccleſiæ membra obligent; & ſi quæ eos negligant, coërceantur, pœnâ in eorum violatores ſtatutâ, *artic.* 4. *Conſtit. Urbium quarundam in Holland. circa jus Magiſtr. in Eccleſiaſtic.*

Ut quemadmodum contemptus canonum per eccleſiaſticos cenſurâ vindicatur eccleſiaſticâ: ſic etiam eorum tranſgreſſores, poſtquam canones ſunt confirmati, civili aliqua

pœna

Digitized by Google

pœna multarentur. Quo etiam nomine imperator Juſtinianus canones tanquam leges ſervari voluit, eas ſua ſanctione probavit, confirmavit, etiam contemtores eorum gravi pœna coercendos ſtatuit. *l.* 7. §. 4. *Cod. l.* 8. §. 3. *Cod. Summ. Trinit. Nov.* 42. *in fin. Nov.* 83. *c.* 1. *nov.* 115. *c.* 3. §. 14. *nov.* 131 *c.* 1. *Danæus. Reſp. ad tertiam quæſt. de poteſt. Magiſtr. circa canones eccleſ. conſtit. Franciſc. Junius de jur. Magiſtr. in Eccleſ.*

Neque tamen per hanc ipſam imperatoriam confirmationem regulæ eccleſiaſticæ, in quantum tales, incipiunt eſſe Imperatoriæ: non magis atque tutor à Patre teſtamento datus imperfecto, ſed confirmatus à Prætore, deſinit eſſe teſtamentarius: *Arg. l.* 3. *D. conf. tutor.* Neque obſtabit, quod quis ea ſua faciat, quibus ſuam accomodat auctoritatem. Argum. §. *pen. inſtit. proœm.* ut videantur eſſe canones imperatoriæ, ſeu Politicæ, in quantum ab imperatore, vel à politica poteſtate ſunt comprobatæ. Quia nec imperator, nec politica ulla poteſtas, unquam facit illos canones eſſe regulas eccleſiaſticas; utpote, quæ tales erant, ſimulac ab eccleſiaſticis eſſent conditæ. Verum hoc efficit tantum, ut qui canones antea nonniſi regulæ eccleſiaſticæ membris eccleſiæ ſuadendæ, omni vi coactiva, omni externa coërcitione, deſtitutæ, ut quæ penes eccleſiaſticos nulla, jam adinſtar legum obligent eccleſiæ membra, in quæ, ſi

Digitized by Google

ſi ea neglexerint, etiam Politice, erit animadvertendum.

Atque hæc ipſa, quam jam explicui communis eſt reformatorum ſententia, Belgii fœderati praxis; à qua qui deviat Theologus in Belgio, jure merito heterodoxias manifeſtæ, contra ſubſcriptionem à ſe factam, eſt inſimulandus. Ut hic reprehendendus veniat D. Samuel Mareſius, qui *decreta Magiſtratus Politici inter canones recipit p. 3. in fin. Allocut. ad Lectorem in vindic. Reſponſi de Canonicis Ultraject.* Idem, quod ſatis innuit. p. 42. Epiſtol. de Reconcil. inter ſe & Celeberrimum Voetium; quæ ut mendaciorum eſt plena, ita etiam continet, lubricas & periculoſas locutiones. Et licet eadem Epiſtola ſcribat, ſibi nihil mecum eſſe negotii, Theologo cum Juriſconſulto; non tamen ægre laturus eſt, ſi eum hic docere voluerim, & commonſtrare, quam non deviet ab orthodoxia, ibique tanquam viator vectorem monere.

Neque enim exiſtumare debebit, me adeo rudem eſſe in negotiis Theologicis, ut non ejus errores varios, multaſque heterodoxias poſſem, ſi vellem, detegere; quas etiam penes me ex ipſius ſcriptis excerptas aſſervo. Et ne hic videar minus honorificè de ejus ſentire eruditione, id ſciat & ſi ſic illi viſum, experimentum à me capiat, me illos etiam in Hebraicis, atque Rabbinicis progreſſus feciſſe, ut licet velit eſſe ille Senior in theologia doctor,

Digitized by Google

ctor, facili negotio ejus ignorantiam detegerem; quę tanta eſt, ut ne quidem rectè ſcribat voces Hebraicas, in ejuſdem Syſtemate latinis litteris occurrentes.

Quod quam turpe ſit Theologiæ Profeſſori, ut ipſos ſacræ ſcripturæ fontes, adire & conſulere nequeat, nemo eſt qui ignorat.

Præterquam quod D. Mareſius, pro mendaciſſimo & hac in parte ſit habendus, ut qui & directe, & per conſequentiam, me multis calumniis & contumeliis gravet Quid enim hoc eſt, ſi non putidum mendacium, quod meorum librorum, qui plerique inſcio Reverendo meo Parente à me editi, ſaltem ab eo nunquam viſi, antequam eſſent editi, Parentem facit autorem, & cooperatorem? Quinimo contra veritatem, quod meum factum concernit, narrat formulam à ſe oblatam Synodicam fuiſſe.

Ipſe enim meis oculis vidi formulæ contentum & ſummam D. Mareſii manu deſcriptam, ejuſque ſtylo & phraſibus conſignatam fuiſſe, ſicque quoad potiorem partem in belgicum per Deputatos tranſlatam. Etiam grande mendaciũ eſt, reconciliationis formulam à Rev. Parente oblatã, minus gratam fuiſſe DD. Deputatis Groninganis; cum Viri illi Reverendi, in conſiſtorio noſtro Ultrajectino, præſentibus noſtris DD. Deputatis, conceptis verbis mihi gratias egerint maximas,
„ quod pacis & concordiæ ſtudio, hunc labo-

„rem ſumpſiſſem, & formulam talem con-
„cepiſſem, (nam Parens id mihi negotii
„commiſerat, quod aliis eſſet occupatus)
„quæ Parenti exhibita placeret, quæque fi-
„niendis litibus inſerviret; quamque gra-
„tam & acceptam fore D. Mareſio, nulli
„dubitabant, ut quam primum eandem per
„Mareſium ſubſignatam eſſent remiſſuri.
Provoco hic ad ſcientiam & conſcientiam utrinque DD. Deputatorum, & coram Deo teſtor, rem ita ſeſe habere, prout eam enarravi.

Verum quod præterire non poſſum, quia per conſequentiam me tangit, ut Mareſius inter calumniatores primum locum reperiret, eadem epiſtola, etiam dum pacem offert, ſuo pravo more, exemplo Judæ proditoris, & Joabi doloſi Rever. Parentem, præter jus & fas, mille contumeliis una phraſi onerat, aſſerendo p. 4. ſe hactenus in Parentem *nihil non legitimè & jure ſcripſiſſe*. Scilicet in principio caudati ſcorpii lingua lambunt, interim dum arcuata cauda venenum immittunt. Quin imo non erubuit, quod probitatem & pietatem omnem hac in parte exuerit, calumniatorum ille Senior, (præter alias diabolicas fabulas & calumnias, in Reverendum meum Parentem, ejuſque Patrem honeſtiſſimum, cujus manes quieſcere debuiſſent, emiſſas, & repetitas, licet antea à me refutatas) Epiſtolæ ſuæ inſerere (id enim apprime ad conciliationem facie-

faciebat,) quod Reverendus mihi Parens, eo tempore, quo turbabatur eccleſiæ Status Ultrajecti, *videretur periclitari de famâ & fortunâ; [quodque à ſupremis ſuis dominis Stigmate fuerit notatus.* O diabolicam calumniam? O ſceleratam linguam, & pennam, in fidelem Chriſti ſervum, inſtinctu carnis, & dæmonis armatam? Venia mihi detur, quod hic mitius loqui nequeam. Si enim Mareſio viſum Rev. meum Parentem, qui in illum non ſcripſerat hoc inſignire epitheto, quod *ſit calumniatorum & Sycophantiarum archidiabolus ſua ling.abortiv. p.16.* Quis equidem Mortalium, niſi invidus, & malevolus, pietatis hoſtis acerrimus, innocentiæ oppreſſor, & ſcelerum Mareſianorum propugnator iniquus, id cuiquam vitio verterit, quod duro nodo durum adhibeat cuneum. Si enim homines male feriati maledicere fas eſſe judicant, ſaltem id tacite probant, nefas equidem non erit remaledicere. Et ſi diabolica ſpargere mendacia, ſcelera innocentibus impingere, (eo ſcil. abiere ſeculi mores) pro ludo & joco habetur; quid culpandum in illo, qui dum defenſionis jure atque viribus nititur, opera mendacii diabolica appellat, adeoque operarium & inventorem talium, diabolum.

An igitur cenſet ille Satanas (ut ad rem redeam) incuſator fratrum, libertatis eccleſiæ proditor, homo mundanus, praxeos pietatis oſor, famam Viro honeſtiſſimo, idque ad lubitum

tum virorum inimicorum adimi? Aut Chriſto & Apoſtolorum exiſtimationi quicquam fuiſſe derogatum, quod illis populi primores minarentur, claſſicum ad hoc canentibus Phariſæis? An jura ignorat, quæ ſtatuunt, famam nonniſi per judicis ſententiam, per leges, aut certum genus pœnæ adimi? An ignorat mores totius fere Belgii, quibus ne quidem, diſcedere juſſi, minimâ infamiæ macula, afficiuntur? Niſi & apoſtoli è Synagoga ejecti, niſi Salvator per Gadarenos exire juſſus, perpetua infamiæ maculâ laborarit. Verum quid de ſtigmate hic narrat ſycophanta? Venerandum illum Senem, & quidem innocentiſſimum, ſi cauſæ ſpectes juſtitiam, inauditum, & indefenſum ſtigmate notare, idſequidem eſſet ſummæ impietatis & iniquitatis: quod adſcribere velle (id enim non egerat defenſor eccleſiæ Trajectinæ) Provinciarum & urbium rectoribus, eſſet non tantum grande dedecus, ſed & iniquitas maxima. Quod ſi unquam tale quid eveniſſet, non defuiſſet innoxiis juſta defenſio, non tantum adverſus Mareſium malarum cauſarum Tertullum, ſed etiam adverſus omnes, qui in bonos & fideles Dei ſervos ſine modo, ſine cauſâ graſſantur. Majori ego jure de ipſo Mareſio dixero, quod de fama & fortunis, & vita (ſi jure cum ipſo fuiſſet actum) ipſius actum fuiſſet; non propter quæſitas incuſandi occaſiones, quæſitos prætextus, verum propter

propter crimen infamans, publicum, & capitale, cum Principis Leodienſis decretum publice affixum, falſificaſſet; ſicque de novo imprimi curaſſet, per typothétem ibidem. Qui miſer homo, illo auctore & inſtigatore, propter inceptum facinus & conſummatum punitus eſt, licet mitius. Ille autem maculæ exemptus propter honorem ordinis & miniſterii; licet duplici pœna dignus. Et quia ſceleris fuit auctor, & quia aliis laudator peſſimi extitit propoſiti. Hæc vera ſunt, neque à me probanda, cum ipſe ſe ipſum ubique prodat, nec facinus unquam fuerit inficiatus, verum libellum (*la Chandelle miſe ſuble boiſſeau.*) potiſſimum in ſui purgationem emiſerit; ubi utramque facit paginam, illa defenſio palliativa, qua facinus mitigare ſtudet.

Ut nullæ hic aliæ judicis ſupereſſent partes, niſi in condemnando. Quia igitur ipſe nocentiſſimus eſt, & lacera illius famæ carina, (ſic alibi de Parente loquitur) id conatur, ut in conſortium trahat venerandum meum Parentem, nullius delicti, multo minus infamantis ſibi conſcium. Imitatus in eo fures & raptores, qui dum comites periculi quærunt, in levamen pœnæ, etiam non rogati, ſocios quandoq; per mendacium nominant, qui extra noxam conſtituti. Verum nolim ipſum aliis onerare, ne videar occaſionem quæſiſſe & non in eam incidiſſe illum redar-

Digitized by Google

guendi. Dabitur quondam otium illius morès, & doctrinam exagitandi, licet ſub potentiorum quorundam clypeo lateat, dum gnatonem & paraſitum agit, atque ad inſtar Zedekiæ apud Achabos Michæ malum & invidiam conciliat,

14. Cæterum quo caſu civitates aut univerſitates jus condendi ſtatuta conſequuntur, non ea legitime condunt, niſi convocatis omnibus municipibus, ſeu civibus univerſitatis; iiſque omnibus conſentienbus, aut ſaltem parte majori. Et ſi quidem agatur de re majoris momenti, duabus tertiis præſentibus. Omnium enim cenſetur voluntas moralis, quæ eſt plerorumque in univerſitate. Cum ea lege in unum convenerint, ut quod pars potior ſtatuerit, id, quaſi omnium nomine ſtatutum, robur ſit habiturum. Arg. *init. inſtit. de Attil. Tutor. & §. 1. verb. quod ſi non fuerit. Inſtit. de Satiſd. Tutor. vel Curat. l.* 106. §. 1. *D. de Reg. jur. l. de unoquoque D. de Re Judic. l.* 7. §. *fin. & l.* 8. *D. de Pact. l.* 32. *D. de leg. l.* 3. *&* 4 *D. quod cujuſque univ. nomin. l.* 19. *Ad Munic. l.* 2. *&* 3. *D. de Decret. ab Ordin. Faciend. l.* 2. *Cod. de Decur.* Neque obſtat *l.* 8. *D. de Pact. l.* 19. *Cod. de Decur.* Ubi & minor ſuffragantium pars vincit majorem. Si enim à minori creditorum, vel civium numero aliquid adverſus majorem partem opponatur, & quidem ſecundum æquitatem & rationem,

tum

tum ut creditorum, ſic minor & ſanior pars civium prævalebit majori, ſi modo oſtendatur majorem partem non bona ratione motam fuiſſe. Atque hic eſt ſenſus. *ll. objectarum. Argum. l. 1. §. ſed neque. Cod. de vet. Jur. Enucl. vid. Perez. de Decret. Decur. ſuper immun. n. 4.*

15. Quid ſi omnes quidem fuerint citati, non tamen omnes adfuerint, imo ne quidem duæ partes decurionum aut civium in re leviori fuerint præſentes: An quod ab illis ſtatutum, ratum erit, quaſi omnium nomine geſtum eſſet? Id dicendum videtur. Inſpicitur enim, regulariter, quod à majori parte eorum qui præſentes fuerunt, actum eſt. Ut cæteri, qui venire recuſant, pro contumacibus, adeoque pro ficte conſentientibus ſint habendi. *l. 160. §. 1. D. de Reg. jur. l. penult. & l. ult. Cod. de legat. Argum. l. 11. §. 4. D. de Interrogat. in jur. fac. Clarus. §. fin. quæſt. 32. Hieron. Cagnol. & Faber in Comment. ad d. l. 160.*

16. Si tamen lex vel ſtatutum caveat, omnium & ſingulorum conſenſum adhibendum eſſe, requiritur ut ab omnibus, ſaltem ab iis qui præſentes ſunt conſenſus adhibeatur. Nec poterunt pluralitate ſuffragiorum prævalere, ex vi talis ſtatuti. Idem quod dicendum, ſi interſit ſingulorum, qui ſunt de municipio. Cum quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari. *l. 5. D. de decret.*

cret. ab ordin. faciend. c. quod omnes. de Reg. jur. in 6. l. 11. D. de Servit. Prædior. Ruſticor. l. 28. D. Commun. Dividund. Gotefred. ad l. 19. D. Ad Municipal. Perez. Cod. de Decurion. n. 26.

17. Quod ſi cives jus ſtatuta condendi, vel in Conſules civitatis contulerint, ſive tacitè, patiendo id fieri, ſive expreſſe, id declarando: neque ſingulorum amplius citatione, neque ullorum opus erit præſentia, ad valorem ſtatutorum. Quod enim quis per alium facit, in quem tanquam Procuratorem, aut actorem conſenſit, id per ſe facere videtur. Ut hoc caſu nihil interſit, an ipſi cives ſtatuta condant, an illi, quibus id negotii commiſerunt. §. *Senatuſconſultum. Inſtit. de jur. natur. gent. & civil. l. 2, §. deinde quia difficile. D. de Origin. jur. l. 6. §. 1. D. quod cujuſque Univerſ. nomin. l. 18. D. Mandat. c. qui per alium de Reg. jur. in 6. l. 180. D. eod. l. 56. l. 64. D. de Solut.*

18. Cæterum, an qui jus habent condendi ſtatuta, abſque ſuperioris conſenſu id poſſint, ſatis eſt controverſum? Diſtinctione rem expediendam eſſe cenſeo. Aut enim qui ſtatuta condunt, ſunt liberi Principes, & domini; liberæque civitates, quæ regalia habent; & condere ſibi quaſlibet leges proprio jure poſſunt. Aut ſunt civitates municipales & ſubditæ alicui populo, nec habent jus ſtatuta condendi ſine conſenſu ſupremi, vel

generali,

Digitized by Google

generali, vel ſpeciali. Idque tam procedit, ſi ea ſtatuta juri communi conveniant, quam ſi eidem adverſentur. Illo caſu ea condunt, ex generali legis conceſſione. Hoc caſu, nonniſi ſpeciali conſenſu accedente: *l omnes populi. D. de juſt. & jur. Quæ Lex tantum loquitur de populo libero.* Ut hic omnes ferè DD. errent, qui aliter ſentiunt. *l.* 9. *D. Ad l. Rhod. l. Antiochenſium. D. de Privil. credit. l.* 4. *D. de decret. ab ordin. faciend. l.* 3. §. 5. *D. de Sepulchr. viol. Authent. Navigia. Cod. de Furt. Baro ad l.* 3. *D. quod cujuſq. univerſ. nomin. Zaſius ad l. de quib. num.* 15. *&* 16. *D. de leg. Jacobus Thoming. tom.* 1. *Conſil.* 24. *quæſt.* 5 vid. & *Collectorem conſuet. Hungar. & Tranſylv. part.* 3. *tit.* 2.

Nec obſtat, quod ſtatutis nonnullis aliquid contra jus civile, dicatur inductum: ubi tamen nulla mentio ſpecialis conceſſionis. Id enim intelligendum eſt, vel in quantum ſalvâ ſua lege municipes in ditionem populi Romani pervenerunt, vel in quantum ea ſtatuta civitatum Princeps approbavit. *l.* 3. §. *plane. D. quod vi aut clam. l. lucius. in fin. D. Ad Munic. l. ſemper.* §. *legem. D. de jur. immun d. l.* 9.

19. Verum amplius inquiritur, an ſufficiat conſenſus antecedens, an præter illum ad ſtatutorum vim & robur opus ſit conſenſu ſubſequenti, id eſt ſuperioris confirmatione? Reſpondeo, eo ipſo, quo generalis conſenſus

ſus anteceſſit, in iis, quæ juri publico non adverſantur, nulla opus eſt confirmatione. Quæ enim ſemel placuerunt, amplius, niſi gravi de cauſâ, diſplicere non poſſunt. Arg. *l. 2. ff. de conſtit. Princ.* De moribus tamen adhiberi ſolere adeoq; prudenter deſiderari, ſtatutorum confirmationem & approbationem, docent Pragmatici. *Bocer. Claſſ.* 1. *diſp.* 3. *num.* 41. *de form. & modo conſtit. jur. ibidemque Jaſon. Coler. Coraſ. citati. Merula Prax. Civil. lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 5. *num.* 1. 2. *Petrus Heigius quæſt.* 23. *Chriſtin. Prælud. ad Conſuet. Mechl. num.* 5. *& in Epilogo ad dd. ll. num.* 11. vide tamen hic *Mevium deſtinguentem ad jus Lubecenſe. Prælim. quæſt.* 2. *num.* 55. *& ſeq.*

SECTIO SEPTIMA.

CAPUT PRIMUM.

1. *Neceſſaria eſt ſtatutorum interpretatio.*
2. *Quotuplex ſit interpretandi ratio?*
3. *Utrum etiam Municipiis interpretari liceat ſtatuta?*
4. *Quotuplex ſit interpretationis modus?*
5. *Quæ ſit reſtrictiva ſtatuti interpretatio?*

6. Quæ

6. *Quæ extenſiva?*
7. *Quæ ſit ſtatuti activa interpretatio?*
8. *Quæ paſſiva?*
9. *Quæ declarativa, ſeu ſignificativa?*
10. *Quæ correctiva ſeu emendativa?*
11. *An ſi ſtatuentes dictènt litteraliter accipiendum eſſe ſtatutum, etiamnum admittat interpretationem?*

1. QUandoquidem pari paſſu ambulant, ſtatutorum conſtitutio, & eorundem interptetatio; nec minor eſt auctoritas interpretantis, quam ſtatuentis: ea propter poſtquam de efficiente cauſâ ſtatutorum actum eſt, de eorundem agendum erit interpretatione. *Arg. l. ult. Cod. de legibus.*

Eam ubique adhibendam eſſe, tum dictat neceſſitas, tum ſapientum ſuadet auctoritas. *l. 2. §. his legibus. D. Origin. jur.* Quo nomine duo evitanda extrema. Et illa Franciſci opinio, qui animum agens, fratribus monachis interdixiſſe fertur, ne quis in traditis à ſe regulis aut quæreret aut reciperet aliam interpretatiouem *c. exiit. §. cæterum. de verbor. ſignif. in 6. Alberic. de Roſat. ad l. quamvis D. in jus vocand. n. 6.*

Et illa quorundam captioſa & inepta interpretatio, quæ præter ſophiſticam, & Sycophanticam redolet nihil. Quæque non tam

tam juris eſt interpretatio, quam ejuſdem correctio, cenſura, everſio. Quam hodierno tempore nonnulli Ariſtarchi male morati, qui juri explicando dati ſunt, nimium licentioſe adhibere ſolent; & loco utilium ſcriptorum, præter cerebrinos mores, & in utopiâ Mori, vel in idea Platonis, admiſſos, proferunt nihil. Parum memores prohibuiſſe imperatorem ne quiſpiam in leges à ſe editas ſic ſcribat, aut evulget commentarios. *l. 1. §. noſtra autem Cod. de vet. jure Enucl.*

Ut itaque in ſtatutorum interpretatione ordine progrediar, & evitem quod in aliis improbandum, atque perſtringendum cenſui, in quaſdam inquiram difficultates. 1. Cui incumbat ſtatutorum vera interpretatio? 2. Quomodo interpretatio adhibenda?

2. Quod primum ſpectat quæſitum, idque ratione perſonarum, quibus id juris eſt conceſſum; ibi multiplex interpretandi ratio conſideranda. Vel enim eſt interpretandi ratio deciſoria, vel ſcholaſtica, vel forenſis. Illa eſt, quando auctor ſtatuti illud interpretatur, ſic ut ejus interpretatio tam ſit obligatoria, atque ipſum ſtatutum, adeoque ſit juris deciſoria. Qualis etiam interpretatio conſuetudini tributa, ut quæ certiſſima & optima legum interpres. *l. ſi de interpretatione 37. D. de legibus.*

3. Ubi quæſitum, utrum Populi aut Principis, ſolius ſit interpretari ſtatuta, utrum id etiam

etiam conceſſum ipſis Municipiis? Reſpondeo, licet ſolius ſit populi, aut Principis, prout variat reipublicæ forma, leges interpretari, quia tamen ſtatuta non ſunt leges; & Municipiis privilegium ſtatuta condendi eſt conceſſum, quod de neceſſitate comitari oportet jus interpretandi. *Arg. l. 2. D. juriſd. l. 2. §. his legibus. D. orig. jur. l. ult. Cod. leg.* Etiam id ipſum Municipiis eſſe conceſſum, arg. dictarum legum, negari non poteſt. diſſ. Canones ſecundum Panormit. *in cap. ex parte. de verbor. ſignif. Bartol. in l. omnes Populi. D. de inſtit. & jure. Paul. Winmdeck. Theolog. juriſconſ. part. 2. c. 5. vid. Merul. Prax. civil. libr. tit. 4. cap. 1 art. 15. Vinn. quæſtion. Select. libr. 1. cap. 2.*

Interpretatio Scholaſtica eſt, quando juris antecеſſor in academiâ verba & ſenſum ſtatutorum, ex legum collatione explicat, ſubjectis forte ejuſdem ſtatuti rationibus. Qualis ipſi imperatoriâ conceſſa auctoritate. *tot tit. Cod. de Profeſſ.* Qui in Urbe Conſtantin. libr. 10. Forenſis interpretatio duplex eſt, vel quando juriſconſultus, tanquam vir bonus & æquus, cui de jure reſpondendi à Principe facultas eſt conceſſa, æquum ab iniquo ſecernit, juſtum ab injuſto ſeparat; atque ita ſuo modo ſtatutum caſui ſibi oblato applicat, *Arg. l. 1. §. 1. D. juſtit. & jure. l. 2. §. 5. D. origin. jur.* Vel quando judex, ſi de ſtatuto dubitetur, illud ex officio ad caſus

ſus ſimiles extendit. *l.* 10, *l.* 12. *l.* 13. *D. de legibus.* Nulla tamen harum interpretationum futura deciſoria, id eſt, nulla earundem erit virium cum ipſo ſtatuto, quid interpretandi licentia juriſconſultis, aut judicibus tribuendâ, quæ olim. *Beſold. in oicon. jur. ad l.* 7. 8. *tit.* 1. *libr.* 1. *Dig. n.* 9. *in fin. poſt Buſium* 1. *Subtil.* 3.

4. Verum ad interpretandi modum memet conferam, ubi de tribus agendum. 1. De variis interpretationum modis. 2. De iis, quæ in ipſâ interpretatione obſervanda, & ad quæ attendendum, ut intellectus ſtatuti appareat. 3. De interpretatione quorundam ſtatutorum in ſpecie.

1. Interpretationis modus in genere duplex, vel naturalis vel civilis. Ille eſt, quando vel ratio ſuperior, vincit inferiorem; ut ſi boni publici cauſâ aliquid ſtatuatur, contra privatorum commodum, ſtatuto comprehenſum. Vel quando regulam juris naturæ in theſi conſideratam moderamur ſecundum hypotheſin; ut ſi dicatur, *non occides*, & in hypotheſi, *occides tamen*, modo aliter periculum nequeas evadere. Modus interpretandi civilis eſt, quando ſtatutum aut legem incertam, ex probabilibus circumſtantiis, declaramus. vid. *Althuſ. dicæol. libr.* 1. *c.* 16. 17. Atque talis interpretandi modus, vel potius talis ex modo interpretatio potiſſimum, vel Reſtrictiva, vel Extenſiva. vid.

Albe-

Albericum de Roſate. ad l. qui duos. n. 3. D. leg. 3. fol. 70. D. inforciati. Hillig. ad Donell. 1. Comm. 13. 14. ibique alii.

5. Illa, quando generalis ſtatuti oratio & ſententia, ad certas tantum ſpecies ſub eadem oratione generali contentas reducitur.

Quod accidit, cum ratio ſtatuti, & mens ſtatuentis in quibuſdam ceſſat caſubus, qui tamen ſub genereli oratione comprehendebantur. Tumque neceſſum eſt dictum limitari ſecundum ejuſdem rationem, quod oratione potentior ſit mens dicentis. *Arg. l. 50. §. 1. D. leg. 1. l. 24. D. de Rebus dubiis. l. 6. §. 2. D. jur. Patronat. Claud. Cantiunc. loc. legal. à ſent. contra ſcriptum.*

Poterit autem illa ratio ad quam attenditur vel eſſe expreſſa in ipſo ſtatuto; vel in alio ſtatuto tradita; vel per interpretem ex rerum conditione collecta; vel anceps & dubia.

Si primum: tum ubicunque locum habebit ratio, etiam locus erit ſtatuto. Argum. *l. 12. in init. & §. 1. D. qui & à quibus manum.* Ut deficiente ratione in aliquo caſu, etiam deficiat ſtatutum, à quo impune judex recedet. *Arg. l. non dubium. Cod. de legibus & ibi gloſſ. in verb. amplexus. Dynus circa Reg. fin. de Reg. jur. in 6.*

Si ſecundum; idem, quod in caſu primo, ſtatuendum erit. *Arg. l. 26. l. 27. l. 28. D. de legibus.*

Si tertium; nec diverſum quid à caſu primo

mo & ſecundo ſtatuendum, modo adeo certa ſit interpretatio, ut certior reddi nequeat. *Arg. l. 11. l. 12. l. 13. D. de legibus. & Arg. l. milites. 9. D. de Re Milit. l. nominatim. D. lib. & Poſthum. hæred. inſtit.*

Si quartum; in dubio ſtatuti verba non erunt aliquâ reſtringenda interpretatione. Quia verba generalia, generaliter ſunt accipienda. Et ubi ſtatutum non diſtinguit, aut reſtringit, noſtrum non eſt diſtinguere aut reſtringere. *Bald. in l. non dubium. Cod. de leg. & alii apud Alderan. Maſcard de Statutor. interpret. concluſ. 5. n. 1. 2. cum variis limitationibus. Lagus Method. jur. p. 1 c. 9. per totum.* vid. *Sainſon, ad Turon. tit. 1. § 5. gloſſ. 4. p. 9. 10. 11. 12.*

6. Interpretatio ſtatuti extenſiva eſt, quando quidem verba ſtatuti ſunt ſpecialia, ſic ut iis non omnia comprehendantur, quæ comprehendi potuiſſent, verum tamen ſubjecta ratio eſt generalis, ut ad alios caſus, ad alias perſonas verbis non comprehenſas, extendi non incommode poſſit. Neque enim tam verba, quam ſenſum, quam rationem nos intueri oportet. *Argum. tit. inſtit. de legit. Patron. tutel. §. 1. in fin. inſtit. qui ſui vel alien. jur. l. 17. l. 29. l. 30. D. de legibus.* Ut enim lege omnes caſus exprimi non poſſe certum eſt, ut ideo ex ratione legis, ad ſimilia progredi liceat; ita etiam in ſtatuto, ſi ratio ſit manifeſta, extenſionem ad ſimilia admittemus. *Arg. l. 10. 11. 12. 13. 27. D. de legibus.*

Quâ

Digitized by Google

Quâ etiam ratione ab uno correlativorum ad aliud facienda eſt extenſio. *Arg. l. fin. D. Accept. l. fin. Cod. de Cupreſſ. ex luco Daphnenſi. & l. fin. Cod. in diſt. induit. Gabriel. comm. opin. libr. 6. de leg. & Conſtit. concl. 3. cum limit.* & etiam *tit. de Statutis. Anton. de Roſellis de ſucceſſ. ab inteſtato. n. 156. fol. 244. vol. 8. tractat. Stephanus Coſte tract. de ludo. §. 2. n. 17. vol. 1. tract.*

7. Ut tamen non indiſtincte id admittat. *Bartol. in l. omnes populi. D. de juſtiti & jure. q. ult.* Secundum quem alia eſt ſtatuti extenſio activa, alia paſſiva, quam etiam diſtinctionem poſt alios admittit. *Alderanus Maſcard. de Gener. Statut. interpret. concl. 2. n. 256.* Illam appellat, per quam ſtatutum per commodam ſimilitudinis accomodationem ad caſus in ipſo non expreſſe comprehenſos transfertur. Id quod tum verum, cum illi caſus non ſunt jure communi, aut aliis ſtatutis deciſi. *per ll. alleg. Gloſſ. ad l. non poſſunt D. de leg.* Cum ſi ita deciſi forent, non alia quærenda foret caſuum deciſio, quæ diſpoſitioni juris communis relinquenda. *Arg. l. 21. D. de Teſtam. Militar.* In qua lege de Privilegiis militum agitur, quibus conceſſum ut teſtamenta ipſorum, militiæ facta valerent etiam poſt miſſionem, idque intra annum. Id quod ad eos non erat extendendum, qui acceptis ſucceſſoribus militare deſierant; quod is caſus eſſet deciſus. *l. 20. in init. D.*

eodem

eodem vid. & l. 64. §. 9. D. Solut. Matrimon.

Maxime autem extenſio ſtatuti in caſu propoſito locum habet cum quod ſtatuto inductum, effectum commode ſortiri nequit, ſi non ad ea quoque quæ in illo non ſunt expreſſe poſita, extendatur. Id quod etiam in iis de jure obtinent, quæ aliter ſtrictam admittunt interpretationem. *Argum. l. 32. §. 15. D. de Recept. qui arbitr. l. 22. in init. D. Uſu & habit. l. ſi ſtipulatus. 111. D. verb. obligat.*

Sunt tamen qui eam appellant activam interpretationem, quando ſtatutum in aliud ſtatutum influit, & illud explicat, & informat. *Petr. Anchor. in c. canonum Statuta, de Conſtit. Tom. 2. Repet. jur. canon. p. 124. n. 264. & p. 132. n. 340. & ſeqq.*

8. Paſſivam ſtatuti extenſionem tum admittit Bartol. cum unum ſtatutum ad aliud, quod de eodem agit negotio, trahitur; adeoque ab illo moderamen aliquod, & interpretationem nanciſcitur. Finge, ſtatutum licentiam tribuere conjugibus invicem gratificandi, idque illimitate, non expreſſâ certâ quantitate; quod tamen non accipiendum illimitate, quaſi etiam ille gratificandi modus, in detrimentum legitimæ filiorum, poſſit admitti: cum ſtatutum de legitima liberis relinquenda, huc trahendum; ſecundum quod illud primum explicandum. Sic Paulus

Paulus JC. jubet extendi leges teſtamentarias ad teſtamentum, citra obſervationes juris communis conditum, ex aliâ lege, putâ Corneliâ, firmum, ut tamen illud juxta easdem leges moderetur. *l.* 1. §. *lex Falcidia. D. Ad l. Falcid.* Et JC. Hermogenianus, mores atque leges civitatum de muneribus intelligi vult ex illis, quæ per ipſum de muneribus alibi erant relata. *l.* 1. §. 2. *in fin. D. de Muner. & Honoribus. Lagus Method. jur. part.* 1. *cap.* 10. Licet meo judicio hæc ſtatuti interpretatio potius reſtrictiva quam extenſiva ſit dicenda, dum unum ſtatutum illimitate poſitum, per aliud reſtringitur, & coarctatur.

9. Præter jam enumeratos interpretationis modos, quibus ſtatutum, vel ampliatur, vel arctatur, doctores addidere alios duos modos ſcilicet unum *declarativum*, ſeu *ſignificativum*, quem Grammaticalem appellant, alterum *correctivum*, ſeu *emendativum* ſtatuti. *Jaſon. in l. omnes populi.* §. 2. *D. juſt. & jure. n.* 60. *varii apud Alderan. Maſcard. de interpret. ſtatutor. concl.* 2. *num.* 78. 79. *Petrus Ancboran. in c. canonum ſtatuta. de Conſtit. Tom.* 2. *Repet. jur. can. p.* 124. *n.* 264. *p.* 132. *n.* 340. *& ſeqq.* Illum appellant, quando verba, dictiones, & phraſes ſtatuti explicantur, grammatice, litteraliter, hiſtorice, ut veritas ſermonis ſtatuto comprehenſi innoteſcat.

Digitized by Google

10. Hunc appellant, quando ſtatutum aliquam manifeſtam in ſe continens iniquitatem, vel manifeſtum caſum excludens, ſic explicatur, ut illa auferatur, hic caſus includatur &c. Verum ſtudio in generali à me propoſita diviſione illos omiſi modos. Et quia qui litteraliter ſtatutum explicat, & declarat, circa ſenſum ſtatuti nihil agit, ut ea proprie non ſit interpretatio. Quo etiam nomine à DD. talis admiſſa verbalis interpretatio, licet omnis ab ipſo ſtatuente & quidem expreſſis verbis interpretatio ſit excluſa. Et quia ſtatutum emendare aut corrigere, non tam eſt interpretari quam id ipſum abrogare, vel ei obrogare, vel derogare. Quod juris equidem nonniſi ſtatuti conditori reſervatum eſt. Non negandum tamen, quin de jure civili quandoque Prætori, qui quodammodo viva vox erat juris civilis & ejus interpres *l. 8. D. de juſt. & jure.* talis emendatio & correctio juri civils fuerit conceſſa: *l. 7. §. 1. D. juſt & jure.* Non tamen primario ſed per conſequentiam, non propalam, verum indirecte, & per obliquum, ne juris civilis majeſtatem lædere, aut quicquam adverſum illud ſtatuere deprehenderetur, tantum ejuſdem cuſtos & moderator. *init. inſtit. de bonor. Poſſeſſ.*

11. Occaſione diſtinctionis modorum interpretandi ſtatutum, inquirunt interpretes, num ſi ſtatuentes dicent, litteraliter intelligen-

telligendum eſſe ſtatutum, omnis interpretandi ratio excluſa cenſeri debeat? Reſp. Quia in ſtatuentium eſt poteſtate, taliter condere ſtatutum, qualiter ipſi volunt, ſibique omnem omnino reſervare interpretationem. Et qui concedunt jus interpretandi, etiam illud denegare valent; dicendum videtur omnem omnino excluſam eſſe rationem interpretandi. *Arg. l. 1. l. ult. Cod. de leg. & l. 3. ibique DD. D. de Regul. jur.* Non tamen meo judicio cenſebitur excluſa *declarativa* interpretatio, ut quæ eſt litteralis, ſeu verborum ſignificativa *Bartol. in l. omnes populi. D. de juſt. & jur. n.* 65. *Felyn. in Proœm. decret. n.* 22. *Alex. conſil.* 50. *vol. ult. num.* 12. *Aliique apud Maſcard. de interpret. Statut. concl.* 2. *n.* 80. *& concl.* 4. *n.* 107. Uti nec extenſiva vel reſtrictiva cenſebitur excluſa, caſu quo neutrâ admiſſa, iniquitas & injuſtitia ex ſtatuto oriretur. Eam enim voluiſſe ſtatuentes aut affectaſſe, credibile non eſt. *Arg. l.* 15. *D. Condit. inſtit. l.* 19. *D. de leg. Menoch.* 1. *conſ.* 11. *Bald. de Statut. n.* 13. Nec unquam cenſebitur eſſe excluſa interpretatio, ſi ex collatione alterius ſtatuti, à quo prius declaretur, aut ſuppleatur, ea commode haberi poſſit. poſt *Baldum Maſcard. concl. alleg. num.* 81. 82.

Digitized by Google

SECT. VII. CAP. II.

1. *Quænam ſpectanda, ſi de vero ſenſu ſtatuti difficultas?*
2. *Si ſenſus ſtatuti inveſtigari nequeat, ad ſtatuti conditorem erit recurrendum.*
3. *An ſi ſtatutum ſit juris communis derogatorium, extenſivam admittat interpretationem?*
4. *Si ſenſus dubius talis adhibenda interpretatio, quæ juri communi minus adverſetur.*
5. *Et ſtatutum, quod ſimpliciter loquitur, intelligendum eſt ſecundum jus commune.*
6. *Statutum, quo victus victori in expenſas tenetur, ſic accipiendum, ſi non habuerit juſtam litigandi cauſam.*
7. *Statutum continens verba taxativa, quandoque extenſivam admittit interpretationem.*
8. *Si ſtatutum dictet in caſubus non expreſſis ad jus commune recurrendum*

dum eſſe; per jus commune ſolet intelligi Romanum.

9. *Si quis in inſtrumento juris auxilio renunciaverit, non cenſetur juri ſtatutario renunciaſſe.*

10. 11. *Si de moribus in ſtatuto juris fiat mentio, an jus intelligi debeat provinciale?*

12. 13. *Jus ſtatutarium ſuper adveniens juri communi, quandoque hoc tollit, quandoque non.*

14. *Statutum de moribus deſiderans Tabellionem cum duobus teſtibus, ad teſtamenti factionem, non excludit ſolemnia juris civilis.*

15. *Succurritur objectionibus.*

16. *Num extendatur Statutum de caſu vero ad caſum fictum?*

17. *Affirmativa ſententia explicatur.*

18. *Statutum, quod extantibus maſculis excludantur fœminæ, non admittit maſculos adoptivos.*

19. 20. 21. 22. 23. *Statuta ſi invicem contraria, qui concilianda, vel explicanda ſint?*

24. *An in ſtatutis tempus compoſitionis, an*

an confirmationis ſpectandum?

25. *Rejiciuntur variæ dd. limitationes circa ſtatuti poſteriora, correctoria priorum.*

26. *Si ſtatutum expreſſam ſui derogationem exigat, poſteriori ſtatuto debebit eſſe inſerta clauſula prioris revocatoria.*

1. ALterum quod circa interpretandi modum obſervandum, ſpectabat ea[a], quæ in genere circa ſtatuti interpretationem obſervanda, quo ſenſus & intellectus genuinus, innoteſcat. Et quidem ſpectanda ſunt in ſtatuto, de cujus ſenſu laboramus, antecedentia, & conſequentia; examinanda Rubrica; præfatio, quæ ut plurimum cauſam finalem continet, ut mens ſtatuentis innoteſcat; accipienda verba in ſenſu ordinario, & proprio, à quo non eſt recedendum, licet ſtatutum videatur odioſum, aut à jure communi exorbitare; niſi tamen manifeſtum ſit, id voluiſſe ſtatuentem[b], quod improprius exprimit ſermo; vel niſi proprio ſervato ſermone, vel mpoſſibilitatem, vel iniquitatem, vel abſonum ſenſum contineret ſtatutum: quod nunquam admittendum. Spectandus is ſenſus ſtatuti, qui rei gerendæ accommodatior; qui benignior; qui vitio caret. Spectanda conſuetudo, quæ retro in civitate obtinuit; te-

nenda

nenda practica, uti loquuntur, ſeu obſervantia; reſpiciendum aliud iſtius loci ſtatutum; jus commune; jus urbis regiæ, id eſt metropolitanæ vel civitatis dominantis ſtatutum; denique vicinarum urbium vel populorum ad jacentium conſuetudo. Niſi tamen ſtatuto fuerit expreſſum, in caſu dubio ad jus commune recurrendum eſſe. *§. at nec* 15. *ibique DD. inſtit. Ad l. Aquil. l.* 18. *l.* 19. *l.* 23. *l.* 32. *l.* 37. *l.* 38. *D. de legibus. l.* 56. *l.* 168. *D. Reg jur. l.* 67. *D. eod. l. ille aut ille. §.* 1. *D. legat.* 3. *l. Nepos Proculo.* 124. *D. verb. ſignif. l. non aliter.* 69. *D. legat.* 3. *l.* 50. *in fin. D, leg.* 1. *l.* 1. *§. ſi is qui navig. verb. in re igitur dubiâ. D. Exercit. Action. l.* 3. *D. liber. & Poſth. l.* 18. *D. leg. l. quoties. D. de Reg juris. §. fin. inſtit. de Satiſd. Laurus de Palatiis. de ſtatuto. quod Extantibus maſculis exclud. fœminæ. in præfat. n.* 6. *& in ſeqq. Prim. vol. tract. Barbatia, de Præſtant. Cardinal.* 2. *quæſt. tract.* 2. *n.* 4. 7. *ſol.* 63. 64. *poſt. Baldum. in l. fin. §. in computationibus, in verb. fin. Cod. Jure deliber. Franciſc. Balbus de Præſcript.* 2. *part.* 3. *part. Princip. q.* 14. *n.* 13. *Jacob. Marchiſellus Sylva quæſt. Pract. q.* 49. *n.* 10 *poſt Bartol. in l. cunctos Populos. Cod. Summ. Trinit. & idem Marchiſell. n.* 14. *poſt Bald. in l. quamvis. Cod. in jus vocand. idem Bald. in l. fin. D. hæred. inſtituend. Caſtrenſ. ad l. omnes populi. D. juſt. & jure. n.* 7. *Gail.* 2. *obſ.* 33. *Jacob. Thoming. deciſ.* 26. *n.* 27. *& ſeqq. & deciſ.* 14. *n.* 5.

Digitized by Google

n. 5. Scheff. quæſt. jur. Practic. 26. n. 7. & ſeq. Merend. contr. juris libr. 2. c. 10. Giurba obſ. 53. n. 23. 24, ibique alii. Alderan. Maſcard. de interpret. Statutor. concl. 3. & concl. 4. in init. & n. 161. 162. 163. Joſeph. Ludovic. libr. comm. concluſ. 55. per totum. Theſſaur. quæſt. forenſ. libr. 2. q. 49. Claud. Cantiunc. loco, à more p. mihi 118. 119. Menoch. 2. Præſumpt. 6. n. 12. Berlich. deciſ. 107. in fin. & deciſ. 1. 5. n. 11. vid. Montan. de Tutel. c. 12. n. 10. Lagum Method. jur. p. 1. cap. 8. n. 5. 6. Bebionem ad tit. inſtit. de jure natur. & gent. p. 30. Mævium ad Lubecenſ quæſt. 10. Prælim. Prol. Maſcard. libr. all. concl. 2. n. 103. & ſeqq. uſque ad fin. poſt Decium & alios.

2. Quod ſi omnibus conditionibus & requiſitis expenſis, atque examinaris, adhuc dubius & incertus remaneat ſtatuti, de quo agitur, ſenſus, ad auctorem & conditorem ſtatuti recurrendum erit, qui ſua interpretatione, quod certius eſt, ſtatuet. *Argum. l. 11. D. de legibus. l. 1. 9. 10. 11. 12. Cod. eod. l. 2. §. 18. Cod. de veter. Jur. Enucleando.*

3. Verum quoniam circa ſtatuti explicationem in genere conſideratam, ſuperſunt etiamnum aliquod difficultates, eas ne quid intactum maneat, in ſeqnentibus explicabo. Quid ſi ſtatutum ſit juris communis derogatorium; an ſicut aliud ſtatutum, extenſivam admittet interpretationem? Reſpondeo, id quidem communiter negant, quaſi hic de

caſu

caſu expreſſo ad non expreſſum non fiat tranſitus. Alii diſtinguunt, inter ſtatutum favorabile & odioſum. Quaſi illud, non hoc admittat extenſionem. Sic *Anton. de Roſellis de ſucceſſ. ab inteſtato fol. 246. n. 215. vol. 8. tract.* Et allegati apud *Alderan. Maſcard. de interpret. ſtatut. concluſ. 4. 5. per tot. & n. 86. 141. 4. concl.* ubi explicatur, quid ſit favorabile, quid odioſum? Alii diſtinguunt inter ſtatutum quod adjuvat jus gentium, vel potius coarctat. Quaſi illud, non hoc ſit extendendũ. *Anton. de Canario. de inſinuation. q. 20. num. 27. fol. 163. vol. 1. tract.* Verum, quandoquidẽ ſtatutum nonnunquam à jure communi deviat, quod id ipſum forte non ſatis accommodatum noſtræ reipublicæ formæ; quodque jus commune rationi & æquitati minus congruum; etiam ſtatutum de moribus noſtris quaſi jus commune, in loco, ubi conditum, non obſtante jure communi, ad ſimilia trahi & referri poterit. Tritum enim illud Doctorum: argumentum ab identitate rationis, in ſtatutis eſſe admittendum. *Argum. tit. inſtit. de legitim. Patron. tutel. l 13. D. de leg. l. 6. §. 1. D. verb. Signif. l. ut gradatim. §. et ſi lege. D. Muner. & Honor. l. 1. §. mutuum. D. Ad Senat. Macedon. Bald. tract. de ſtatut. n. 1. 2. Bartol. ad l. omnes populi. n. 53. & ſeq. Cravett. de Antiq. tempor. part. 4. in Princ. n. 75. Matth. Weſemb. vol. 5. conſil. 220. n. 14. Treutl. conſil. 89. n. 3. & diſp.*

vol. 1. diſp. 1. theſ. ult. litt. c. Goris adverſ. tract. 4. de differ. juris. §. 1. num. 2. Chriſtin. ad Conſuet. Mechlin. in Prælud. num. 5. & num. 25. & ſeqq. Merend. contr. juris libr. 2. c. 10. Sand. de feud. Gelriæ tit. 3. cap. 1. n. 70. 71. p. mihi. 144. Groenweg. Procem. inſtit. de ll. abrog. n. 17. 18. -- Chaſſan. in Epilog. ad conſuet. Burgund. verb. inteerpretes ſecundum jus ſcriptum. n. 8. & ſeq. Molin. ad Pariſ. §. 20. Gloſſ. 5. n. 47. Argentr. ad Brittann. in Præfat. tit. de Donat. n. 10.

4. Id tamen ſecundum pleroſque doctores erit ſtatuendum, ut ſi ſtatuti ſenſus ſit obſcurus vel dubius, talem admittat interpretationem, quæ juri communi recepto, non ſit contraria. Legum quippe correctio, ut odioſa, non facile inducenda, ne quidem per ipſas leges. Niſi tamen illa correctio, vel expreſſis verbis probetur, vel ipſo facto, id eſt urgentibus conjecturis, potiſſimum à causâ finali ſtatuti, deſumptis. Quo etiam nomine argumentum à contrario ſenſu nonnunquam in ſtatutis erit admittendum; quia & in pactis dotalibus, licet ipſa ſint ſtricti juris. Maxime, ſi verba, unde ſumi debet argumentum, ſunt propoſita cauſative, & contrarium argumentum non eſt contra jus commune. Argum. *l. 32. in fin. Cod. de Appellat. l. quamvis. Cod. de Teſtam. Laurus de Palatiis. ſuper Statuto Italiæ: quod extantibus maſcul. non ſucced. fæmin. 2. part. Princip. n.*

7. p.

7. p. 49. vol. 1. tractat. Petrus Antibolus de Muneribus. §. 4 n. 10. vol. 10. tract. p. 30. Gail 2. obſ. 138. n. 7. Quetta Cpnſil. 27. Gravett. de Antiq. tempor. part. 4. §. abſolutus. n. 42. Menoch. de Recup. Poſſeſſ. remed. 9. n. 387. & ſeq. Treutl. conſil. 19. n. 104. & conſil. 41. n. 49. Andreas Kolb. Exercit. legal. 2. n. 35. Berlich. part. 2. deciſ. 203. ibidemque varii. Jacob. Thoming. conſil. part. 1. conſ. 1. n. 60. & conſ. 34. num. 35. Matth. Weſemb. part. 6. conſ 296. Chriſtin. Prolixe volum. 1. deciſ. 113. n. 20. & ſeqq. & vol. 2. deciſ. 54. in fin. Idem ad Mechlin. in Epilogo. n. 8. Mev. Prælim. quæſt. 9. n. 33. & ſeq. ad jus Lubec. Anton. Matth. tract. de Auctione. libr. 1. c. 21. n. 33. -- l. 26. §. 2. D. Pact. Dotalibus. ibique poſt Baldum Gothefred. prolixe Maſcard. de interpret. ſtatutor. concl. 4. n. 69. & ſeqq.

5. Hinc itidem conſequitur, ſtatutum quod ſimpliciter loquitur, intelligi, reſtringi, & modificari debere ſecundum jus commune; ad quod ante omnia recurrere ſoliti ſtatuentes. Niſi ut in antecedentibus dictum, ſit juris communis derogatorium. Tunc enim in illo individuo, in quo diſponit, contra jus civile, per illud & ſecundum illud non explicabitur. Vel niſi jus commune ſervatum in dicto ſtatuto manifeſtam contineret iniquitatem.

Vel niſi evidens ſit ſtatuentes à jure com-

muni recedere voluiſſe. *Matheſilanus. de ſucceſſ. ab inteſtato. 3. Artic. Principal. num. 5. vol. 3. tract. Et Chaſſan. ad Burg. Rubric. 2. §. 1. n. 12. Panormit. in c. in noſtris. de injur. & alii in Dictionario Alberici de Roſate verb. ſtatutum dubium. in Addit. poſt Burſatum conſil. 12. vol. 1. n. 53. Maſcardus de interpret. ſtatut. general. concl. 2. n. 20. 226. 244.*

6. Quâ etiam ratione ſtatutum, quod diſponit ſimpliciter, ut victus victori in expenſas ſit condemnandus, hunc ſenſum admittit, ſi non habuerit juſtam litigandi cauſam; hic quippe ſenſus juri communi eſt conformis, & rationi conveniens. §. 1. *inſtit. de Pœn, temer. litig. l. 13. l. 15. Cod de Judic. l. 73. §. 2. D. de leg. 2. Bald. in l. terminato. Cod. de fructibus & lit. Expenſ. Alciat. in praxi juris utriuſque tit. de expenſis. p. 275. & ſeqq. Lanfranc. ab Ariadno de Expenſ. fol. 221. vol. 9. tract. Maſcard. d. libr. concl. 2. n. 41. & concl. 12. n. 1. 2. 3. 4. Pacius. diſp. 24. ad Inſtit. n. 15. Gudel. de jure noviſſ. libr. 4. c. 13 ibique Covarr. Pract. quæſt. 27. Chriſtin. vol. 2. deciſ. 54. n. ult. idem prolixe tit. 1. art. 29. ad ll. Mechlin.*

7. Quid ſi ſtatutum contineat verba taxativa, an unquam extenſivam admittet interpretationem; adeoque de caſu expreſſo ad non expreſſum, verum tamen ſimilem, transferetur? Reſpondeo, licet verba taxativa, ſint aliorum caſuum excluſiva, ſi reſpiciamus

caſus

caſus diſparatos; non tamen erunt caſuum ſimilium excluſiva. Per vulgatum illud DD. & Philoſophorum; excluſiva quidem excludit genere diverſa, non tamen concomitantia. Id quod obtinet quam maxime, ſi non admiſſà extenſione & ampliatione ſtatuti, idque ad ll. ſimilitudinem, abſurdus admitteretur ſenſus, adeoque vitio ſtatutum non careret. Ut ſi non rationis ſtatuti ſit diſſimilitudo, quia par aut major ratio, ſimilis etiam caſus ad ſtatutum ſit referendus.

Id quod alii tantum in favorabilibus, alii etiam in odioſis cauſis admittunt. Arg. §. *porro.* verb. *ſed quia. libr.* 2. *feudor. tit.* 24. *l.* 12. *l.* 19. *D. de legibus. l. ob as.* 12. *Cod. de Præd. Minor. & ibi Gothefr. in comm. l.* 1. *Cod. de bonor. Poſſeſſ. contr. Tabul. & ibi gloſſ. & DD. Alexander, Jaſon, Bald. Caſtrenſ. apud Gomeſ. variar. Reſol. tom.* 1. *c.* 11. *n.* 12. *&* 13. *Alderan. Maſcard. de interpret. ſtatutor. concluſ.* 4. *n.* 158. 159. -- *DD. ad* §. 28. *inſtit. de Action. & Novell.* 115. *c.* 3. *in fin. init. diſſ. Zoeſ. in ſimili. D. de liber. & Poſthum. hæred. inſtit. n.* 13. 14.

8. Quid ſi ſtatutum dictet, in caſubus non expreſſis ad jus commune vel civile recurrendum eſſe; id ne de jure alio ſtatutario communiori puta Provinciali, de Principum conſtitutionibus in illá itidē civitate receptis, erit intelligendum, an potius de jure civili Romanorum? Reſpondeo, quoniam in Pro-

vinciis Belgii fœderati, regulariter deficientibus locorum ſtatutis, jus Romanum, ut in pleriſque partibus æquiſſimum, eſt receptum: & paſſim ſtatutorum conditores ſtatutis hanc clauſulam ſubjiciunt, ut in caſubus non expreſſis ad jus commune ſcriptum, ſit recurrendum: quod ibidem jus Cæſareum, jus Juſtinianæum appellatur: nec præter illud reperitur aliud quippiam commune, apud nos receptum, quod juris communis nomen meretur: affirmandum erit intrepide, per jus commune, civile Romanorum ſeu Juſtinianæum, ſeu Cæſareum intelligendum eſſe. *Argum. §. ſed quoties. inſtit. de jure natur. gent. & civil. Auth. Præſides. Cod. Epiſc. Audient. in med. l. rem non novam. in fin. init. Cod. judic. Jaſon in l. omnes populi. D. juſt. & jur. n. 20. 21. 22. Sainſon. ad Turonenſ. §. 14. gloſſ. 1. p. 24. Ordin. Curiæ Ultraj. Provinc. in fin. Conſtit. ordin Provinc. Ultraj. ſuper matrimon. de ann. 1584. Octobr. 6. art. 24. 29. Ordinat. Urbis Ultraj. in fin. Chriſtin. ad ll. Mechlin. in Prælud. n. 38. ibidemque varii. idem in Epilogo. n. 20. & ſeq. Zoeſ. D. de Pœn. n 13. idem. D. de Teſtam. milit. in fin. Auctor Batavicæ Arcadiæ p. mihi. 598. in medio. vid. & Menoch. 2. Præſumpt. 6. num. 11. 12. ego in meo tract. de auctorit. juris civilis & canonici in Belgio fœderat.*

9. Unde ſecundum Baldum, ſi quiſpiam in inſtrumento omnis juris auxilio renunciaverit,

ciaverit, non cenſebitur ſtatuti beneficio renunciaſſe. *in l. ſed & ſi quis. § quæſitum D. ſi quis cautionibus*: vid. tamen prolixe *Andreã de Exea Tom. 2. Repet. jur. canonic. p. 132. n. 48. & ſeqq. Gothefr. ad l. 1. §. 1. D. Quæ in Teſtã. delent.*

Neque officiunt huic ſententiæ quæ occurrunt apud Corenium. *obſ.* 30. *cur. Holl. ob.* 234. *n.* 68. Neque enim ibi agitur de ſtatuti ſenſu, ſed de partium conventione; in quâ forte, ſi caſus aliquis ſit omiſſus, pro omiſſo habebitur; ex jure communi patrio, id eſt vel provinciali, vel conſuetudinario generali decidendus.

Idque rationi juris congruum eſt; cum illa partium conventio ſupra ſe habeat jus patrium provinciale, vel conſuetudinarium generale, ad quod, probabile eſt, partes reſpexiſſe, & cui probabiliter ſe confirmare voluerunt. Verum ſtatuta, quæ partim urbana, partim provincialia, ſupra ſe aliud jus commune præter Cæſareum, ſeu civile Romanorum, non agnoverunt, ut ad illud collimare in defectum juris proprii videantur. Et licet jus Provinciale dici poſſit, quaſi commune nobis, uti loc. alleg. ſcribit Coren, non tamen eſt commune, ſic abſolute dictum, quale eſt Romanorum. Niſi tamen addatur, aut occurrat hæc phraſis, jus regionis commune, aut jus commune patriæ, **gemeyn lants recht**. Tum quippe probabile ſtatuentes jus provinciale ſtatutarium reſpexiſſe.

10. Si

Digitized by Google

10. Si tamen de moribus in ſtatuto mentio fiat juris ſimpliciter, ſine ullo additamento, tum probabile etiam jus aliud ſtatutarium provinciale, vel generale conſuetudinarium intelligi: quia & hoc ipſum juris venit appellatione: *l. ult. D. de Decret. ab ordin. faciend. l. 3. §. 5. D. Sepulchr. violat. Jaſon in loc. alleg. n.* 23. 24. Maxime cum de moribus ſtatuentes dum intendunt *jus civile*, id non ſine additamento, *civilis*, *Cæſarei*, *communis ſcripti*, *Juſtinianæi*, *imperialis*, *ſecularis*, exprimant.

11. Quin tamen quandoque factâ mentione *juris communis*, ad provinciale, vel generale conſuetudinarium ſit recurrendum, negari non poterit. 1. Si, abſurdus ſenſus ſtatuti oriretur, recurrendo ad jus commune. Aut præter caſum ſtatuto expreſſum, jus civile injuſtitiam foveret. *Arg. l.* 19. *D. de legibus.* 2. Si per generalem conſuetudinem juri civili in cæteris caſubus ſtatuto non expreſſis eſſet derogatum. 3. Si ſtaute tali ſtatuto, nihilominus in illâ regione, vel civitate, ſoliti ſint recurrere ad jus Provinciale. Quia ſervanda eſt conſuetudo, & quod diu retro in civitate obtinuit, pro lege habetur. *l.* 23. *l.* 35. *l.* 37. *D. de legibus. poſt Decian. Jaſon. aliosque Maſc. concluſ.* 2. *num.* 92. *&* *ſeqq.*

12. Quid ſi jus ſtatutarium ſuperadveniat juri communi, an per illud jus commune ſublatum

ſublatum cenſebitur, an potius aliquid ei ſuperadditum vel adjectum eſſe dicetur? Reſpondeo. Aut jus ſtatutarium idem dicit, quod jus commune, nec alterum per alterum videbitur eſſe ſublatum: quod quemadmodum lex legi, pactum legi adjicitur, etiam de ſuperfluo, licet unum per aliud non abrogetur, ſed ſtabiliatur magis; ita etiam ſtatutum juri civili de ſuperfluo ſuperadditum, confirmet illud magis, ex eoque confirmetur, in quantum eaſdem tum reſtrictiones tum limitationes admittet, quas admiſit jus civile. Sic ut tamen appellandum ſit ſtatutum, non jus commune, in quantum fortius vinculum ei, quod jure communi cautum eſt, adjicitur. *Arg.* §. 2. *inſtit. de Uſucapion. l.* 19. *in init. D. de Uſufruct. Barbatia. de Præſtant. Cardinal. quæſt.* 1. *part.* 1. *n.* 13. *p.* 41. *vol.* 6. *Tractat. ibique Bartol. Baldus. aliique.*

13. Aut jus ſtatutarium aliquid adjicit juri communi, quod ut plurimum eſt exiſtumandum, per *Marſil. ſingul.* 121. *inc. habens juſtam cauſam. & ſing.* 207. *init. victus.* Tumque aut verſamur in favorabilibus cauſis, aut in caſibus odioſis.

Si illud, non cenſebitur per ſtatutarium, jus commune anterius, eſſe ſublatum. Quod in ſuo vigore manebit, ut jure communi quis uti valeat, & eo recurrere, neglecto ſtatuto, ejus loci, in quo domicilium habet.

Quia

Quia cum cuivis liceat favori introducto pro ſe renunciare, etiam illi licebit negligere tale ſtatutum, quod ſolummodo ejus reſpicit favorem. *Arg. l.* 41. *D. oblig. & Action. l.* 91. *D. de Reg. jur. l. pen. Cod. de Pact.*

Si hoc, cenſebitur jus ſtatutarium tollere jus civile commune. Odioſa quippe, qualia pœnalia, ſunt reſtringenda. Et quæ pœnæ arbitrio judicis eſſent irrogandæ, fruſtra ſtatuto civitatis determinatum modum accepiſſent. *Arg. l.* 13. *l.* 42. *D. de Pœn. l.* 155. §. *fin. D. de Reg. jur. l. final. Cod. de Modo Mulctar.*

Unde ſtatutum imponens pœnam libellis famoſis, quæ eſt pecuniaria & arbitraria, non ſinit eſſe locum pœnæ juris civilis, quæ capitis eum damnat, qui libelli famoſi auctor eſſe deprehenditur. *Bald. in l. data opera. Cod. qui accuſ non poſſ. Petrus Anchoran. in c. canonum ſtatuta. verb. quæro. de Conſtitut. Franciſcus Lucanus de Fiſco, ejuſque Privileg. n.* 2. *fol.* 107. *vol.* 1. *tractat. Bartolom. de Capua Super Capitul. Regni Siciliæ. p.* 281. *Maſcard. de ſtatutor. interpret. concl.* 2. *num.* 60. 71. *Mindan. de Mand. judic. libr.* 2. *c.* 4. *num.* 2. *DD. apud Mævium. quæſt.* 9. *Prælim. num.* 35. 48. *& ſeq. Grot. libr.* 2. *p.* 17. *verb.* **doch is by ons niet verboden.** *Rodenb. tractat. de jure conjug. cap.* 3. *tit.* 2. *n.* 3.

14. Hinc etiam vice verſâ, in cauſâ favorabili ſtatutum, de moribus ad teſtamenti conficiendi

ficiendi ſolemnitatem deſiderans Tabellionem, & duos teſtes, non excludit teſtamenti faciendi rationem ſecundum ſolemnia juris civilis: ut etiam alicui liceat coram ſeptem teſtibus condere teſtamentum, etſi Tabellio non fuerit adhibitus; modo tamen in hâc noſtrâ Provinciâ, prius litteras licentiæ, ſeu veniæ impetraverit, id quod in omni teſtamenti factione coram Notario, & teſtibus, etiam eſt neceſſarium.

15. Nec obſtat quod ait *Montan. cap.* 33. *de Tutel.num.* 38. 39, 40. Solemnitatem ultra jus commune requiri cumulative, adeôque ſtatutum à jure communi ſuppleri. Id enim tum demum verum eſt, cum per ſtatutum alicui magis proſpectum voluere ſtatuentes. Id quod accidit, ſi forte plures ſolemnitates requirat ſtatutum ad alienationem bonorum minoris, quam lex deſiderat. Finge enim ſtatutum velle, ne qui major hic quondam erat maſculus, decimo octavo ætatis anno, ſua immobilia alienet, citra conſenſum propinquorum. *Statut. Ultraject. Rubric.* 28. *n.* 6. Quo caſu non videtur alia excluſa ſolemnitas, de jure communi ad alienationem immobilium minorum requiſita. Et ita dicendum, ſolemnitatem juris ſtatutarii ſuperaddendam ſolemnitati civili. Quaſi inducta ad unum finem, non debeant operari ejus contrarium. *Arg. l. cum tale.* §. 8. *D. Condit. Demonſtrat. Caſtrenſ.*

ſtrenſ. conſil. 278. *aliter.* 271. *col.* 1. 2. *Decius conſil.* 110. *n.* 1. *apud Maſc. concl.* 2. *n.* 58. 59.

16. Sed anxie circa extenſivam interpretationem ſtatuti DD. inquirunt, num de caſu vero procedat unquam ampliatio ad caſum non verum, id eſt, ad caſum fictum. Reſp. Sunt bene multi, qui cenſent ſtatutum, quod loquitur de caſu vero, non extendi ad caſum fictũ, quod ſtatutum ſtricti juris ſit, adeoque ſtrictam admittat interpretationem. Id quod etiam admittendum videtur, ſi ſtatutum requirat caſum verum, non fictum. Vel in caſu ficto adhibito, abſurdus ſtatuti cenſus orirctur. Vel ſtatutum eſſet admodum odioſum, adeoque nec extendendum; vel contra jus commune ſit introductum. *Arg. l.* 3. §. *hæc verba. D. Neg. Geſt. l. pen. D. de Pæn. l.* 14. *D. de legibus. Alexand. conſ. viſo ſtatuto.* 189. *vol.* 7. *Bartol. ad d. l.* 3. *Vivius in tom. comm. opin. libr.* 17. *verb. ſtatutum. p.* 343. Quo forte referri poterunt varii apud Chriſtinæum *ad Mechlin: in Prælud. n.* 37. *allegati. vid. Hyppol. in c. at ſi clerici. de Judic. n.* 82. *Tom.* 3. *Repet. jur. canon. & volum. conſil. juriſc. German. part.* 3. *conſil.* 15. *Hartm. Piſtor. libr.* 1. *q.* 25. *n.* 20. *Berlich.* 2. *Practic. concl.* 18. *n.* 28. *ibique varii.*

Sunt alii, qui exiſtumant ſtatutum in caſu vero etiam referri ad caſum fictum quando idem diſponit, quod jus commune, vel loquitur

quitur in juris materiâ, in quâ caſus verus & fictus æquiparantur. *vid Bald. Panormitan. Jaſonem, apud Alberic. de Roſate in Diction. verb. ſtatutum. in addit.* Et poſt *Romanum conſil.* 105. *n.* 2. *Felyn. in c. inſinuavi. n.* 2. *& alios. Alder. Maſcard. de ſtatutor. interpret. n.* 72. *& n.* 211. 212. *& ſeqq. cum limit. & concluſ.* 10. *n.* 1. 2. *& ſeqq. Coſtal. ad l.* 3. 5. *D. Neg. Geſtis. Gomeſ. ad l.* 70. *Ta[illegible]. n.* 17. *Chriſtin. in Præl. ad Mechlin. n.* 37.

17. Sic tamen malim ſentire; quia ſtatutum regulariter interpretationem recipit ex jure communi, quod etiam admittit extenſionem de caſu vero, ad fictum. Et fictiones ſuadente æquitate ſunt introductæ, quæ maxime in ſtatuto dominantur. Et ſtatutum nobis eſt veluti lex quæpiam civilis. Etiã ſtatutum de caſu vero ad fictum referri poterit; ſi modo neq; ex verbis, neque ex mente, aut intentione ſtatuentis, neque ex ratione ipſius ſtatuti, neque ex naturâ rei, quia eſt odioſa, ſit excluſa fictio. *Arg. l.* 11. §. 7. *D. interrog. in jur. faciend. l.* 15. *D. de Rebus cred. l. Gallus.* §. *& quid ſi in fin. D. liber. & Poſter. hared. inſtit. Arg.* §. *namque ſi.* 4. *& ſeq. inſtit. Action.* §. *ult. inſtit. Quibus non eſt permiſſ. facere teſtam. Jaſon in l. omnes populi. D. juſt. & jur. n. pen. & ult. Cataldinus de Boncompagnis de Syndicatu. n.* 76. *poſt Baldum in l. Gallus.* 29. §. *quid ſi is. D. liber. & Poſthum. Hæred. Coſtal. ad l.* 3. *D. Neg. Geſtis.*

Everhard.

Everhard. Conſil. 78. paulo poſt init. & loco à vi fictionis. p. mihi. 379. lin. 20. Molin. ad Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 11. num. 29. p. 245. & §. 36. num. 10. p. 509. Zoeſ. D. Solut. Matrim. num. 4. vid. & Anton. Matth. diſp. 3. de quaſi Uſufr. n. 18. ubi aliæ allegationes.

18. Unde ſi ſtatutum dictet extantibus maſculis excludi fœminas, tale ſtatutum non extantibus legitimis & naturalibus ſimul, non extendetur, ad filios, qui tales juris fictione, quales ſunt legitimi tantum, ſeu adoptivi. Hæc quippe cauſa eſt odioſa, & præjudicium grande allatura liberis juſto quæſitis matrimonio. Quinimo ea ipſa extenſio ſtatuti, æquitati naturali adverſatur, & illi parentum affectui, quo liberis ex ſe quæſitis, ſua relicta cupiunt. Nec minus liberorum juſtis nuptiis quæſitorum, circa ſucceſſionem ſpem deminuit, quam quiſque obſequio parat ſibi; adeoque & evertit debitam obedientiam], omni ſuccedendi viâ reſecatâ. *l.* 15. *D. de inoffic. Teſtam. l. 7. in fin. D. Si Tabul. Teſtam. null. extab. Unde liber. l.* 17. §. 3. *D. de Adopt. vid. ad ſimilia. Treutl. vol. 2. diſp. 16. theſ. 3. in notis.* Et ex profeſſo, de hoc ſtatuto, ejuſque interpretatione. *Laurus de Palatiis per totum. prim. vol. tractat.*

19. Quid ſi reperiatur in ſtatutis oppoſitio vel ſaltem aliqua contrarietas appareat; id eſt; in iiſdem

in iiſdem reperiatur vel antiromia, vel enantiophania? Reſpondeo, vel unum tantùm ſtatutum eſt, in quo aliqua continetur contrarietas, ſic ut verba priora poſterioribus adverſentur. Tumque nihil in illo ſtatuto valere contendunt, ſic ut nihil ſervari velint, quod contraria continens ſcriptura perplexę comparetur. *Arg. l. hac verba. D. verb. ſignif. l. 16. D. Condit. inſtit. l. ubi repugnantia. D. Regul. juris.* Quam tamen legem poſtremam, alii ſcripturæ vel inſtrumento applicatam velint, ubi falſitatis eſt ſuſpicio, non ſtatuto, quod ab univerſitate conditum. *l. qui falſo vel varie.* 16. *D. de Teſtibus.* Sic ut ultimum ſtatuti capitulum, anterius corrigere velint, per *l. 24. D. de legibus. cui potius adjiciam l. 15. in fin. D. de Praeſcript.* vid. *Alberic. de Roſate ad l. etſi. Cod. Teſtam. Tutel. n. 4.*

20. Vel plura ſunt ſtatuta; & videndum num ad concordiam aliquo modo reduci poſſint. Quod præſumendum ut plurimum, unum ſtatutum alterius eſſe declaratorium, uti una pars ſtatuti ab aliâ declaratur; Nec facile præſumenda correctio, niſi expreſſe conſtet, ſtatuentes per poſterius ſtatutum prius corrigere voluiſſe. Adeoque omnia tendanda eſſe prius, diſpiciendumque, num vel aliquâ limitatione, vel diſtinctione inter ſe conciliari poſſint; etiam ipſas particulas taxativas negligendo, vel diſjunctivas in copulativas, & vice verſâ reſolvendo. *Argum.*

gum. §. 15. *de confirmat. D. Ad Senat. & Popul. &* §. 15. *Conſt. ad Magnum Senat. l.* 26. 28. *D. de leg. Ubi Bartol. & Bald. l. ſi ſervus plurium.* §. *fin. D. leg.* 1. *l.* 32. *in fin. Cod. Appel l ſancimus. Cod. de Teſtam. l. ſæpe D. verb ſignif. Alex.* 4. *conſil.* 4. *n.* 7. *Franciſc. Vivius in tom. comm. opin. libr.* 17. *p.* 133. *ibique Bartol. in l.* 1. §. *partis. D. quod vi aut clam. Alex. vol.* 5. *conſ.* 107. *n.* 6. *Alberic. de Roſate in l. ſcripturæ. Cod. fide inſtrum. num.* 4. *vid. Everhard. in loc. legali: à naturâ dictionis taxativæ.*

21. Quod ſi plura ſint ſtatuta, quæ invicem contraria: vel non erunt æque valida, ut in uno forte deſint requiſita debita; nec tum maximopere erit laborandum, quod unũ propter defectum requiſitorum, nullius ſit efficaciæ. Id quod etiam obtinere volunt, ſi unum ſit publicatum, alterum non æque. Ut illud tantum liget, non hoc. Per *DD. in l. omnes populi. D. juſt. & jure. nov.* 66.

22. Vel illa plura ſtatuta non erunt æque generalia; tumque poſterius ſpeciale non derogabit priori, quod generi per ſpeciem non derogetur: ut hic ſtricte loquendo, non ſit contrarietas, niſi ſtatutum poſterius, priori non derogaret, quod eſſet inutiliter & fruſtra conditum. *c. generi. de Reg. juris in* 6. *l. in toto jure* 80. *D. Reg. jur. l.* 41. *D. de Pœnis. Alex.* 6. *conſil.* 58: 89. *Maſcard. de interpret. ſtatut. concl.* 8 *per totum.*

23. Aut

23. Aut ſtatuta quæ invicem contraria, æque ſunt generalia, æque firma, ut nihil in ſolemnibus, in requiſitis deſit; tumque ſi poſterius priori ex parte adverſetur, etiam ex parte tollit; ſi in totum, etiam in totum deſtruit prius, *l. ult. D. de Princ. Conſtit. l. pacta noviſſima. Cod. de Pact. l. 28. D. de leg. l. 27. in med. Cod. de Teſtam. l. Sancimus. verb. reliquum vero. Cod. Donat. Clem. dudum.* §. *nos enim de Sepultur. vid. Chriſtin. ad Mechlin. in Præl. n.* 34. 51. *Hondad. conſ.* 196. *n.* 4. *Surd. conſ.* 568. *n.* 9. *Menoch. conſ.* 196. *n.* 4. *apud Marium. Giurbam obſ.* 45. *n.* 17.

24. Id quod procedere volunt interpretes, etiamſi illa duo ſtatuta eodem tempore confirmata; quod tempus compoſitionis ſtatuti, non confirmationis velint attendi *Arg. l. conficiuntur.* §. *ſi miles. D. Codic. Bartol. in l. omnes populi. D. juſt. & jure. n.* 35. Verum è contrario dicendum, potius confirmationis, quam compoſitionis tempus eſſe ſpectandum, ut id poſterius ſit ſtatutum, quod quidem forte primo compoſitum, poſtremo tamen fuit confirmatum. Ea quippe demum noſtra facimus, quibus noſtram impartimur auctoritatem, ut ante confirmationem nihil noſtrum cenſeri debeat. §. *pen. Inſtit. Proœm. ibique DD.*

25. Ut hic etiam rejiciendæ veniant omnes illæ Doctorum limitationes, qui ſine ullo juris aut legum fundamento aſſerunt,

1. Si prius ſtatutum æquias, per poſterius, ſed durius, non corrigi. Lex quippe ſervanda, licet dura, & ita etiam ſtatutum. *Arg. l.* 51. *in fin. D. Aquil. l.* 12. §. 1. *in fin. D. Qui & à quibus manumiſſ.* 2. Si unum ſtatutum prius compilatum, licet poſtremum in librum redactum, cenſeri tamen eſſe prius. Quod equidē non verum, ſi tempus confirmationis, cum tempore redigendi in librum conjungantur, per dicta anterius. 3. Si prius favorabile, poſterius odioſum. 4. Si unum prohibitivum, mandans alterum. Quia erubeſcimus ſine lege loqui. *nov.* 18. *c.* 5. *in init.* diſſ. *varii apud Maſc. libr. alleg. concl.* 8. *n. n.* 42. 43 *&* 4. 5. *& ſeqq. per totum.*

26. Si tamen ſtatutum prius conditum & confirmatum expreſſam ſui velit derogationem, adeoque ſit poſterioris derogatorium, tunc equidem per poſterius non cenſebitur correctum aut revocatum, niſi poſteriori inſerta ſit expreſſa derogationis clauſula; idque de moribus procederet ad exemplum teſtamentorum. *Arg. l.* 22. *D. de leg.* 3. *& l. ſi mihi & tibi.* §. *in legatis. D. leg.* 1. *Bartol. in l. omnes populi. D. juſt. & jur. n.* 31. *Anton. Burges Repet. Jur. Canon. Tom.* 2. *in c. cum omnes, de Conſtit. p.* 295. *n.* 330. *& ſeqq. vid. Guidon. Papa de Compulſorial. litteris. quæſt.* 1. *num.* 4. *vol.* 9. *tractat.*

SECT.

SECT. VII. CAP. III.

1. *Qualem ſtatutum admittat interpretationem, quod vel alterutrum oculum eruendum eſſe, vel alterutrum manum amputandam, ſtatuit?*
2. *Quale membrum ſit amputandam, ſi ſimpliciter de membri amputatione ſtatutum loquatur?*
3. *Si manum amputandam ſtatutum dictet, qualis amputanda veniat?*
4. *Si pœnam imponat percutienti, an ſeſe extendat ad impellentem, ut quis percutiatur?*
5. *Si vetet exportari frumentum &c. an referatur ad illud, quod quis proprii uſus gratia exportavit?*
6. *Statutum prohibens rem ſuam vendere, non extenditur ad caſum, quo quis eam rem vendidit, ad quam perſonalem habebat actionem.*
7. *An ſi rei per ſtatutum legari prohibitæ, debeatur æſtimatio?*
8. *Statutum exigens probationes per ſcri-*

pturam, num excludat alias ſpecies probationum?

9. *Statutum quod in numero plurali loquitur, etiam ad numerum ſingularem extendendum.*

10. *An quod ſtatutum de filiis loquitur, etiam comprehendat nepotes?*

11. *Unde ſtatutum jubens, ut in ſolidum ſuccedant filii, nepotes excludit.*

12. *Si tamen deficiant filii, admitti poterunt nepotes.*

13. *Non tamen ordinariè filiorum appellatione filiæ continebuntur.*

14. *An ſi ſtatutum vocet agnatum ad hæreditatem, excludatur frater uterinus, reliquique cognati?*

15. *Statutum de lucro dotis, qualiter explicandum?*

16. *An ſtatutum quod Advocatos quoad actiones perſonales Curiæ Provinciali ſubjicit, etiam quoad crimina eodem ſubjiciat eidem foro?*

1. SUbſequitur membrum tertium, quod in ſtatutorum interpretatione conſiderandum erat. Scilicet quorundam ſtatutorum ſenſus erat eruendus, adeoque exempla

empla nonnulla in hypotheſi proponenda, ex quibus conſtaret, quid in aliis ſimilibus explicandis obtinere debeat. Et quidem ex innumeris quæſtionibus, quæ ad certum ordinem, ad claſſes certas redigi non commode poterunt, illuſtriores, & uſum non contemnendum in foro habituras, ſubjiciam. Quarum prima hæc eſt.

1. Si ſtatutum diſponat alicui alterutrum oculum eruendum eſſe, aut manum alterutram amputandam, qualem admittat interpretationem, caſu quo, is qui delinquit, altero oculo, vel alterâ manu caret? Reſpondeo, licet pœnæ communiter interpretatione molliori temperandæ ſint, adeoque in mitiorem partem accipiendæ, quia ut plurimum odioſæ; & in caſu propoſito, rei durior ſit cauſa in ordine pœnæ ſtatutariæ, quam alterius cujuſdam, qui membris orbatus non eſt, aut mutilus. Quia tamen pœna quæ à ſtatuto impoſita, non eſt eâ gravior, quæ ratione commiſſi criminis eſt debita: licet forte accidat, id quod hic non attenditur, eam eſſe huic facinoroſo duriorem. Et reipublicæ quam maxime intereſt delicta non manere impunita; quæ res eſt favorabilis. Hac vero occaſione accideret, ſceleratos ordinarias pœnas evitaturos eſſe; adeoque ſpe impunitatis, amplius peccaturos. Dicendum videtur, ſecundum juris rigorem, alterum oculum eruendum eſſe, vel alteram

manum amputandam. *Argum.* § 9. *Inſtitut. Ad leg. Aquil. l.* 23. §. 3. *l.* 51. §. 2. *D. eod.* & *ita tenuit Bald. in Authent. Sed novo jure. Cod. de furt.* & *Serv. fugit.* & *tractat. de Statutis. quæſt.* 5. Etiam hanc ſententiam judicando tenuiſſe conſilium Neapolitanum ſcribit *Grammat. deciſ.* 94. *Clarus* 5. *Sent.* §. *final. quæſt.* 60. *num.* 5. licet ipſe per Principem pœnam temperandam cenſeat, ideoque in partem mitiorem inclinare videatur. vid. *Paulum Grillandum de Relaxat. Carcerator. libr.* 5. *q.* 4. *in* 4. *vol. tract.*

2. Quid ſi ſtatutum abſolute loquatur de membri amputatione, vel mutilatione, non expreſſo membro; quod nam veniat amputandum, diſquiritur? Reſpondeo, quia ſtatutum in dubio talem admittit interpretationem, qualis juri communi maxime eſt conformis; quo jure non facile, ad membri amputationem proceditur, aut ſi pocedatur, ad ejus membri amputationem, quod quam minimum uſum corporis lædit, aut impedit ejuſdem officia: dicendum videtur, eum qui deliquit, abſciſſione potius manus, quam alterius membri puniendum eſſe. Niſi tamen ipſa criminis qualitas, aliud membrum amputandum eſſe ſuaderet. Uti lingua in blaſphemo, in perjuro digiti primores. *Arg. l.* 42. *D. de Pœn. Auth. ſed novo jure. Cod. De Serv. fugitiv Novell.* 134. *c. ult. Gothefred. ibid.* & *ad l.* 3. *Cod. eod. Paulus Grillandus*

de

de Relaxat. Carcerat. loc. cit. Gregor. Tholoſ. Synt. jur. libr. 31. c. 16. n. 6.

3. Quid ſi ſtatutum dictet alicui facinoroſo manum eſſe amputandam, an dextram, an vero ſiniſtram amputabimus? Reſpondeo, quia in odioſis, favorabilem communiter ſententiam amplectimur, manum ſiniſtram amputandam eſſe, ſuadebit interpretatio benigna. Niſi tamen delicti qualitas aliam admitteret interpretationem. Puta, ſi forte notarius falſi crimen commiſiſſet, & ex forma ſtatuti exigeretur manus amputatio. Tum enim dextram, in quâ peccavit amputandam eſſe, juris rationi foret congruum. Unde etiam dicendum, in caſu quo ſtatutum inferret manum alicujus eſſe mutilandam, qui in militiâ turpiter gladium abjeciſſet, eum pollice truncandum eſſe ut fiat *poltronus*, quaſi pollice truncus, militiâ indignus, quod eâ parte videatur deliquiſſe; adeoque æquum eſſe, ut in eâ parte luat, quá peccavit. *l. interpretatione. D. de Pœn. l. in ambiguis. D. de leg. l. ſemper in dubiis. l. ea quæ. §. in re dubiâ D. de Reg. jur. Argum. l. & in his D. de Condit. & Demonſtr. l. fugitivis. Cod. de ſerv. fugit. Auth. omnes peregrini. in fin. Cod. Commun. de ſucceſſ. c. imperialem. §. Scriba. de prohibit. feud. alienat. libr. 2. feud. Paulus Grilland. de Relaxat. Carcerator. loc. antea alleg. Perez. Cod. de falſ. n. 19. Gothefred. in not. ad nov. 134. c. ult. Gabriel. Naud. de Re Militar.*

Digitized by Google

4. Quid ſi ſtatutum pœnam imponat percutienti, aut vulneranti, an ſeſe extendet ad eum, qui aliquem ſtimulando, incitando, cauſam dedit, ut alius percutiatur & vulneretur. Reſpondeo, etſi qui occaſionem, & cauſam mali præbet, nonnunquam eadem pœnâ dignus judicetur, qua qui malum commiſit. Quia tamen id ipſum tum demum ſecundum jus civile admittitur, cum lex expreſſe de eo qui cauſam mali præbuit, loquitur; quod obtinet in *l. Corneliâ de Sicariis*. Et ſtatutum non majorem admittit interpretationem, quam ipſa lex. Etiam diſtincta ſunt, quid fieri vere, & per conſequentiam ſeu interpretative. Neque de caſu poſteriori ſtatutum loquitur. Stimulatorem talem ordinariâ ſtatuti pœnâ non teneri, probabilius videbitur. *l. qui occidit. §. pen. l. ult. D. Ad l. Cornel. de Sicar. l. ult. D. de vi bonor. Raptor. l. 1. §. rejicitur. D. de vi & de vi armata. Baldus tract. de Statutis. Quæſt. 1. num. 12. & ſeq. & in ſimili caſu. quæſt.* 11.

5. Quid ſi ſtatutum ſub pœna pecuniariâ vetet exportari linum, oleum, frumentum, an etiam extendetur ad ea, quæ quiſpiam vel proprii uſus gratia, vel gratiâ familiæ exportavit? Reſpondeo, quia per allegata ſuperius, ſtatutum accipit interpretationem ex jure civili, & quidem talem, quæ rationi & æquitati, ſit conſentanea. Improbum autem cenſeri poſſet, nemini licere ad uſum proprium

um neceſſaria ſecum ferre, exiſtumarem e-um in pœnam ſtatuto comprehenſam non incidere, qui gratiâ ſui quid extulit, aut exportavit. *l.* 4. §. 1. *D. de Publican. l.* 5. *Cod. de vectigal. & Commiſſ. per Bartol. Alexandr. Jaſon Natt. allegatos à Chriſtinæo ad ll. Mechl. in Prælud. num.* 22.

6. Quid ſi ſtatutum ſub certâ pœnâ prohiberet aliquem rem ſuam divendere extraneo, aut peregrino, an ſeſe extenderet ad eum, qui rem vendidit, ad quam perſonalem habebat actionem id eſt, qui ipſam actionem vendidit? Reſpondeo, Etſi quandoque æquiparentur res, & actio ad rem, per regulam juris, quod qui habet actionem, ipſam rem habere videatur. Quia tamen ea regula non tam procedit ſecundum veritatem, quam ſecundum juris interpretationem. Et impropria eſt illa locutio, notam improprietatis, *videtur*, conjunctam habens. Statuti autem verba proprie ſunt accipienda, ſi non verborum proprietas abſurdum contineat ſenſum. Etiam interpretatio adhibenda ſecundum veritatem; quâ inſpecta, minus eſt actionem, quam ipſam rem habere. Dicendum erit, ſtatuti pœnâ eum non teneri, qui ad rem actionem vendidit extraneo. *l.* 15. *D. de Reg. jur. l.* 204. *D. eod. Bartol. Alexander, & alii ad l.* 29. §. *videndum. D. de liber. & Poſthum. hæred. inſtit. Hieronym. Cagnol. comment. D. ad Reg. jur.* 18. *num.* 16.

& 9. Petrus Faber. comment. ad d. l 15.

7. Quid ſi ſtatutum rem aliquam legari vetet, puta, rem immobilem eccleſiæ uper addita clauſula irritante; an ſaltem ejus rei legatæ debebitur æſtimatio? Reſpondeo, Etſi communiter ita interpretemur ultimas voluntates, ut potius valeant, quam ut pereant: ſaltem aliquem ſortiantur effectum. Etiam rei alienæ legatæ nonnunquam ab hærede præſtanda ſit æſtimatio. Inſuper pro legatario plerumque ſit præſumendum, quem honorare voluit teſtator. Et maximus in pleriſque ſit favor piæ cauſæ. Tamen quia propter clauſulam irritantem tale legatum eſt ipſo jure nullum; & ita quod fieret in fraudem talis ſtatuti. Dicendum erit, ejus legati ne quidem deberi æſtimationem. *Argum.* §. 4. *v. Sed ſi talis. Inſtit. de legat. l.* 39. §. 10. *D. de leg.* 1. *Peck. de Amortiz. bonor. libr.* 4. *cap.* 9. *& de Teſtam. conjug. lib.* 4. *cap.* 32. *Sand. deciſ.* 4. *lib.* 4. *tit.* 4. *ibidemque varii allegati.* diſſ. *Wameſius conſil.* 409. *num.* 3. *& conſil.* 416. *num.* 11. *De Teſtamentis.* vid. *Menoch. de Præſumpt. libr.* 4. *præſumpt.* 120. *n.* 5. 6. *Mantic. de Conject. Ultim. volunt. libr.* 9. *c.* 9. *n.* 9. *Renatum Choppinum de Moribus Pariſ.* 1. *tit.* 1. *n.* 8. *& de Sacrâ Politiâ libr.* 3. *tit.* 1.

8. Quid ſi ſtatutum exigat probationes per ſcripturam ſeu inſtrumenta: (quale eſt ſtatutum Trajectenſe, & Vianenſe in causâ

locationis

Digitized by Google

locationis & conductionis) an talem admittet interpretationem, ut excludat cæteras omnes probationum ſpecies, quales ſunt, per binarium teſtium numerum, per certa indicia; vel etiam probationem factam interpoſitione juris jurandi voluntarii, ſecundum ſenſum Græcorum intellecti? Reſpondeo, quamvis etiam inſtrumentorum nomine veniant teſtes; qui in exequendis litibus, eandem vim obtinent, quam inſtrumenta. Ut abſurdum videatur plus fidei mereri pellem animalis mortui, quam hominis vivi. Quia tamen ſtatuta commemorata loquuntur prohibitive ſeu negative, id eſt, ne alia ſpecies probationis ſit admittenda, quam quæ eſt per inſtrumentum locationis; excluſi videbuntur duo teſtes, etiam conjecturæ & præſumptiones. Quia tamen potiſſimum ratio & mens ſtatuentium eſt inſpicienda, quæ non alia, niſi ut forte calumniis iretur obviam, & celerius res poſſit expediri. Probationum itidem materia quantum poteſt fieri eſt amplianda, non coanguſtanda. Noſque inſuper oportet ſtatutum ſic interpretari, ne abſurdũ ſenſum contineat, & ut in caſu non expreſſo, juri civili ſe accommodet. Inſuper nemini eſt, denegatum, ſaltem non eſt denegandum, ut adverſarium in propriâ cauſâ judicem eligat. Nec ad probationis ſpeciem jusjurandum voluntarium refertur: cum ne quidem ſit probationis legitimæ ſpe-

cies. Jusjurandum voluntarium vel 5. teſtes, hac prohibitione, forte taxativam voculam continente, excluſos non eſſe, exiſtumarem. *l.* 1. *D. de fid. inſtrum. l.* 99. §. 1. *D. verb. ſignif. l.* 13. *Cod. fid. inſtrum. c. pen. n.* 1. *de fid. inſtrum. l.* 19. *D. de legib. l. quoniam in fin. Cod. de Hæretic. l.* 38. *D. de jurejurando. l. non erit.* §. *dato D. eod. l. ult.* §. 10. *Cod. de jur. deliber.* -- *Arg. l.* 18. *Cod. de Teſtib. Sneidwin. ad* §. *item ſi quis. num.* 87. *Inſtit. de Action. & ibi Bald. in Authent. Sed novo jure. Cod. Si certum Petet. Auguſtin. Berous Quæſt.* 37. *num.* 4. *&* 5. *Chaſſan. ad Conſuet Burgund. Rubr.* 7. *in textu. Sufficienter probata. num.* 12. *Joachim. Beuſt in Rubric. D. de jurejur.* §. 62. *Vid. Conſtit. Caroli* 5. *de ann.* 1524. *Decemb.* 3. *Polit. Ordinat. Holland. de ann.* 1580. *artic.* 31. *Statutum Ultraject. Rubric.* 7. *art.* 13. *Itidem Statut. Vianenſ. Hippol. de Marſil. ſingul.* 157. *ibidemque Cynum in l. optimam l.* 14. *Cod. de contr. & comm. ſtipulat. Felin. alioſque. Cravett. conſil.* 674. *n.* 38. 39. *Jacobum Schultes. obſerv. forens.* 29 *n.* 5. *Cujac.* 13. *obſerv.* 38. *in init. Gothefred ad d. l.* 18. *Mynſing* .1. *obſ.* 5. *Franc. Vivius lib.* 1. *deciſ.* 107. *n.* 10. mea in *cap. de Gener. Statut. interpret. Sneidw.* § *item ſi quis. inſtit. Action. n.* 90. *Groenw. de ll. Abrogat. in l.* 18. *Cod. de Teſt. & in l.* 24. *Cod. loc.*

9. Quid ſi ſtatutum loquatur in numero plurali,

plurali, an etiam interpretatione extendendum erit ad numerum ſingularem? Reſpondeo, aut præciſe ſtatutum exigit numerum pluralem, ut ſi teſtes ad actus celebrationem adhiberi velit; & dubium non eſt, quin ad minimum duo adhiberi debeant. Aut ſtatutum ita loquitur in numero plurali, ut eadem ratio, quæ ſtatuto ineſt, numero ſingulari applicari poſſit; tumque ad numerum ſingularem extendetur. Ita ſi mulctam ei imponat, qui verba contumelioſa alicui dixerit; ſuffecerit hic vel unum verbum contumeliæ gratia illatum. Injuria enim eo ipſo illata cenſebitur, cui ſtatutum obviam ire voluit. Idque propterea quod impunitum aliter eſſet maleficium: ac facile ſtatuti verba in alterius detrimentum eluderentur, quod fieri non oportuit. *Argum l. ubi numerus. D. de teſtib. §. 3. in fin. inſtit. de Teſtam. Ordin. l. 1. §. 1. D. de Negot. Geſt. l. 2. §. quod ait. D. de vi bonor. Raptor. l. 3. in init. D. de Abigeis. -- Arg. l. 50. in fin. D. Ad leg. Aquil. l. non tantum. D. De legib. Bald. de Statut. Quæſt. 9. ibidemque alii allegati.*

10 Quid ſi ſtatutum filiorum faciat mentionem, an etiam eorum appellatione venient nepotes? Reſpondeo; & ſi negandum non ſit, aliquando in jure filiorum appellatione nepotes comprehendi. Quia tamen ubique non eſt par ratio filiorum & nepotum, quod illi ſint gradu proximiores, hi remotiores.

Digitized by Google

Et à proprietate verborum ad improprietatem, in præjudicium filiorum non eſt recurrendum. Niſi aliud ſuadeat mens ſtatuentis, vel præſumptio & juſtà interpretatio; appellatione filiorum excludendos eſſe nepotes exiſtumarem. §. *fin. Inſtit. de Teſtam. Tutel. l. 6. D. de Teſtam. Tutel. l. 220. §. 1. D. de verb. ſignif. l. 59. D. de Ritu. Nupt. l. 41. §. 5. D. de leg. 3. l. 201. D. de verb. Signif. l. 6. Cod. ad Sen. Macedon. l. 34. Cod. de inoff. Teſtam. Prolixe Gabriel comm. opin. libr. 6. de verb. ſignif. concluſ. 1. cum limit. & ſublim.*

11. Unde quæſitum: an ſi ſtatutum diſponat, ne pater valeat efficere, quin filii ſui in totum ſuccedant, nepotes jure merito cum filiis admittere poſſit, aut hæreditatem univerſam relinquendo nepotibus, ſtatuto ſatisfacere? Reſpondeo, quoniam Statutum principaliter, in gratiam filiorum eſt conditum. Etiam ſufficienter verificari poteſt in filiis, licet interpretatione non extendatur, ad nepotes. Et quod in cujuſdam favorem eſt introductum, in eorum torqueri nequit præjudicium. Multo minus adverſus intentionem ſtatuentis impropriam & latiſſimam admittere ſignificationem. Præſertim cum tale ſtatutum ſeſe conformet juris communis diſpoſitioni, per quod ad ſucceſſionem vocantur ſoli filii: dicendum parentem nepotibus gratificando, ſtatuto non ſatisfeciſſe. *Argum. l. 201. D. de verb. Signif. l. 12. D.*

liber

Digitized by Google

liber. & Poſthum. hæred. Nov. 118. c. 1. Gotefred. in comm. ad l. 6. D. de Teſtament. Tutel. & ad l. 84. D. de verb. Signif. Menoch. 4. præſumpt. 94. n. 15. Cravetta, in ſimili. conſil. 588. Teſſaurus libr. Singul. Quæſt. Forenſ. 91. per totum.

12. Quid ſi itaque ſtatutum diſponat, ut mater filiis ſua bona relinquat, an non ſaltem ipſis deficientibus, relinquenda erunt nepotibus? Reſpondeo, licet verba ſtatuti ſtrictam admittant interpretationem, dum agitur de præjudicio filiorum; dumque exorbitat à jure communi rationabili. Quia tamen, ſi verſamur in favorabilioribus, appellatione filiorum nonnunquam continentur nepotes. Dicendum erit, iis non exiſtentibus, hoſce admittendos eſſe. *l. 84. D. de Verbor. Signif. l. 7. Cod. de Secund. Nupt. l. 1. Cod. de Condit. inſert. l. 6. Cod. de Inſtitut. & Subſtit. ſub condit. l. 30. Cod. de fideicomm. Bartol. in l. liberorum. D. verb. ſignif. Tiraquell. in l ſi unquam. in verb. filios non habens. n. 2. Cod. Revoc. donat. Caſtrenſ. conſ. 448. vol. 2. num. 1. Et ita deciſum fuiſſe in Senatu Pedemontano, etiam in reviſione confirmatum, refert Teſſaur. libr. Singul. Quæſt. Forenſ. 92.*

13. Verum, an etiam ſi ſtatutum filiorum faciat mentionem, eorum appellatione fœminæ continebuntur? Reſpondeo, etſi communiter in jure ſub verbo maſculino etiã comprehendatur fœmininum. Quia tamen permulta

permulta locorum ſtatutis, maſculis ſunt conceſſa, quæ fœminis, quarum conditio in multis juris articulis eſt deterior, ſunt denegata. Ex mente ſtatuentium ubi de jure prælationis agitur, fœminas excluſas eſſe, vero ſimilius eſt. Ita ſtatutum feudum deferens filiis, cenſetur excluſiſſe filias. Et ſtatutum Trajectenſe aliquid tribuens filio natu majori jure præcipui, non continebit filiam natu majorem. Cum enim non indefinite, ſed ſpecificè ſtatutum loquatur, excluſa etiam filia cenſebitur. *l.* 1. *l.* 172. *D. de verbor. ſignif.* -- *l.* 9. *D. de Stat. Homin.* -- *l.* 116. *D. de verbor. Signif. l.* 122. *D. eod. Goteſred. in comment. ad l.* 1. *D. de verb. ſignif. lit. m. Nizol. Allegat.* 19. *num.* 76. 77. *vid. tamen Baldum de ſtatut. Quæſt.* 10. *Gabriel. commun. Opinion. libr.* 6. *concluſ.* 7. *num.* 4. *Cujac. accurate in fin. libr.* 2. *tit.* 11. *feud. Molin. ad conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 12. *num.* 1. *p.* 247. vid. *Anton. Merend. libr.* 10. *c.* 8. 9. *contr. jur. tom.* 2.

14. Quid ſi ſtatutum agnatum vocet ad hæreditatem, excludetur ne frater uterinus, reliquique cognati? Reſpondeo; etſi de jure civili differentia ſit ſublata inter agnatos & cognatos, effectu aliquo inſpecto; ſic ut ex æquo ad inteſtati bona admittantur, ſi modo in eodem ſint gradu. Etiam fratres uterini in tantum habeant jura agnationis, ut ulterioris gradus agnatis præferantur; licet cum fratri-

bus

Digitized by Google

bus utroque parente junctis, non admittantur. Si tamen ſtatutum expreſſe vocet agnatum; & ſtatuti verba ſenſu propio ſint accipienda: nec agnatorum nomine veniant cognati. Dicendum erit exiſtentibus agnatis, licet gradu remotioribus, uterinos fratres cæteroſque cognatos excluſos eſſe. *l.* 15. §. 2. *Cod. de legit. Hæredit. Novell.* 118. *cap.* 3. *&* 4. *Lexicon. jur. Briſſon. aliorumque in verbo Adgnati. Baldus conſil.* 30. *num.* 4. *volum.* 1. *& Vincent. Hond. Conſil.* 1. *Volum.* 2. *cit. apud Baptiſtam Coſta, de quotâ & rata. quæſt.* 148. *num.* 12. 13.

15. Quid ſi ſtatutum dé lucro dotis vel ex parte mariti, vel ex parte uxoris, diſponat, id quod de moribus in multis obtinet territoriis; qualis admittenda ſit interpretatio, diſquiritur anxie? Reſpondeo, quia in illo ſtatuto explicando alii ex profeſſo laborarunt, omneſque caſus explicarunt prolixe, nolim hic, quod noſtris jam moribus, frequentatur nimium, plagiarium, aut collectorem agere; atque adeo bonos auctores, qui conſulendi, lectoris avidi manibus excutere, in gratiam quorundam ignavorum, qui ſoliti non res ipſas, ſed numerum dd. ponderare. vid. *Bald. in l.* 1. *Cod. de Condit. ob cauſ. Johann Campegium de dote. part.* 5. q. 8. 9. 10. 11. Et an habeat locum in bonis feudalibus? *Cacialupi. tract. de feud. cognit. artic.* 5 *n.* 11. *vol.* 2. *tract. p.* 119. *& p.* 121. *n.* 24. videatur

tur. etiam *Boer. ad Bituricenſ. tit. 8. §. 4. Roland. à Valle. de lucro dot. Gilken. ad l. 1. Cod. Summ. Trinit. Franciſc. Vivius. in vol. comm. opin. libr. 17. verb. ſtatutum. p. 339. Quetta conſ. 63. n. 5.*

16. Concludam materiam de interpretatione ſtatutorum inſigni & inter practicos agitata quæſtione; An ſi ſtatutum diſponat (quale eſt Curiæ Ultraj. *Rubr. de Advoc. n. 13.*) *Advocatum in actione, vel in omni actione perſonali, conveniri non debere, coram judice inferiori*, eundem eximat judicis inferioris juriſdictioni, id eſt urbis Ultrajectinæ, quoad crimina? Reſpondeo, Et ſi negari non poterit, quin ſtatutum admittat declarationem & interpretationem, nonnunquam etiam prorogationem ſeu extenſionem de uno caſu in alium, per ſuperius allegatos textus & doctores. Etiam actionis nomine quandoque veniat accuſatio. *l. qui accuſant. juncta gloſſ. Cod. Edend. Rubr. Cod. quando civil. actio crimin. præjudicet.* Cenſerem tamen (ſalvo meliore judicio) Advocatum in criminalibus coram judicibus inferioribus conveniri poſſe, imo debere.

1. Quia ſtatutum non eſt interpretatione extendendum de caſu in caſum toto genere diverſum, multo minus contrarium, per ſuperius allegata. Verum certum eſt, cauſas civiles valde diverſas eſſe à cauſis criminalibus. Unde etiam aliæ dilationes in civilibus,

aliæ

aliæ in criminalibus admittuntur. Aliaque etiam eſt cauſa delinquendi, alia contrahendi. Ut diverſorum diverſa eſſe debeat ratio. *l. 1. in fin. & l fin. D. de fer. l. 2. 3. Cod. Ut intra cert. temp. crimi. cauſ. l. 13. Cod. de jud. Bald. queſt. 1. de Statut. num. 10. & quæſt. 4. num. 1. & 2.*

2. Quia ſtatuti verba propriè ſunt accipienda, non abuſive, niſi urgens ratio contrarium ſuaderet per allegata ſuperioribus diſpp. Verum certum eſt, in jure negotiorum nomine non venire delicta aut crimina publica, aut actionis verbo accuſationem, niſi dura admodum catachreſi, quam ſtatutis applicare velle, ubi commodus ejus ſenſus haberi poteſt, abſurdum eſt. *Rubric. & tot. tit. Inſtit de Action. Eadem Rubrica D. Rubric. D. & Cod. & Decretal. de Accuſat. §. 1. & 15. Inſtit. de Action. l. 25. l. 37. D. eod. l. 178. §. 1. 2. Verb. ſignif. Rubr. Cod Ut nemo invitus agere vel accuſare cogatur. Jaſon. ad Init. Inſt. de Action. Sneidwin. Inſtit. eod. ad § actio. 1. num. 1. Bachov. Vinn. aliique eod. loc.*

Quinimo quando ſtatutum utitur verbis legalibus, intelligendum eſt ſecundum naturam iſtorum terminorum. Niſi ex indiciis aut circumſtantiis aliud quid colligi poſſit. Ut ita mens ſtatuentium fiat clara. *Bald conſil. 212. in fin. lib. 5. cit. à Jacob Schulz. obſerv. forenſ. 31. num. 4.*

3. Id

3. Id quod procedit, ſi quando ne quidem in una parte ſtatuti ſub actionibus crimina comprehenduntur. Ut hinc ſumatur indicium, quid velint ſtatuentes per actiones intelligere. Cumque in libro ſtatutorum unum ab alio accipiat interpretationem, per allegata ſuperioribus theſibus, etiam id hic obtinere, congruum erit. *vid. Cur. Provinc. Ultraj. Rubric.* 1. *artic.* 24. *& Rubric. de Advoc. art.* 13. *junct. Rubric. Statuti Ultraj. civitat. Rubric.* 21.

4. Accedit, quod unum ſtatutum ab alio, etiam non eodem libro contentum recipiat interpretationem. Et quidem ita, ut debeant illa juſta interpretatione & diſtinctione inter ſeſe conciliari. Neque enim credendum eſt ſtatuentes in uno aut altero ſtatuto ſibi fuiſſe contrarios, aut ſeſe correxiſſe, niſi illa correctio expreſſe probetur. *Jaſon. in l. triticum.* 94. *num.* 6. *D. de verb. obligat.* - *Cravett. Conſil.* 307. *num* 3. -- *Alexand. in l.* 1. *in Princ. num.* 4. *D. Oper. Nov. Nunciat. Menoch. lib.* 6. *Praeſ.* 38. *num.* 2. *vid. & anteriora.*

5. Quod in tantum etiam procedit, ut licet forte ſtatuti verba (de jure civili accepta) talem ſenſum admitterent, qualem pars adverſa illi tribuit, (contra quam obtinet in caſu propoſito) non tamen ille ſenſus procedere deberet, propter aliud ſtatutum, ab eodem auctore conditum, ex quo deberet declarari.

Bald.

Bald. Conſil. 408. *num.* 9. *v.* & *in hanc. vol.* 1. *Caſtrenſ. Conſil.* 468. *num.* 9. *volum.* 1. & *conſil.* 94. *num.* 2. *eod. vol. Berlich. deciſ.* 115. *num.* 11. Nam ſi ſtatutum ſuppleri debeat à jure communi, multo magis ab alio ſtatuto ejuſdem conditoris: quale jam allegatum *d. Rubric.* 21. Ordinarie quippe præſumendum ſtatuentem velle potius conſervare, ſtatuta, quæ à ſe profecta, quam jus commune. *Arg. l. Si hominem. D. Mand. l. forma. Cod. off. Præf. Prætor. Anchor. conſ.* 93. *in v. non obſtat. Roman. conſ.* 399. *apud Montan. de Tutel. c.* 33. *n.* 40.

6. Quicquid ſit negari non poterit, quin ita ſint interpretanda ſtatuta, ne quid inde proveniat abſurdi, iniqui, aut ea condita cenſeantur in alterius præjudicium. Quod adeo verum eſt, ut hâc de cauſa etiam à propria ſignificatione recedere liceat. Maxime cum etiam ipſa principalia reſcripta ſic interpretari ſoleamus, quæ aliter latiſſime dicuntur accipienda. Unde ſi tale ſtatutum Curiæ Provinc. Ultraj. ita interpretaremur, ut ſub actionibus continerentur crimina, tenderet interpretatio in prejudiciū jurisdictionis urbi quondam conceſſæ in criminalibus, eo ipſo, quod advocati per illud Provincialis Curiæ ſtatutum eximerentur. *l nec audiendus. D. de oper. lib. l. nam abſurdum. D. de bon. libert. Argum. l. pen. D. de Conſtit. Princ. l.* 2. §. 10. & 16. *D. Ne quid in loc. Publ. Bartol. a-*

liique

liique citati apud *Andr. Kolh. declar. conſt. March. poſt pact. dot. & ſucc. conjug. quæſt. 7. num 14. & ſeq.* Quinimo ſi ratione delictorum, juriſdictio præſertim criminalis conceſſa fuiſſet Curiæ Provincialis Senatoribus, in Advocatos, non utique hoc ita frigide propoſitum fuiſſet dicta ordinatione, nulla meri imperii facta mentione. Quod cum ſpecialem legem deſideret, nec contineatur generali & indefinita oratione, eo etiam trahi non debuit. *Arg. l. 2. D. off. ejus cui mand. juriſd. l. 6. D. Pignor. & hypoth. l. ult. D. Supell. leg. Molin. ad Conſ. Pariſ. §. 1. Gloſſ. 5. num. 48.*

SECTIO OCTAVA.

Caput Primum.

1. *Quæ ſtatutorum requiſita, ut ullarum ſint virium?*
2. *Utrum ſtatuta ſtatim obligent atque ſunt publicata?*
3. *Utrum ſtatuta referenda ſint ad futura tantum negotia; an etiam ad præterita? cum variis limitt. & Sublimit.*
4. *An quod eſt contra ſtatuta geſtum, ſit ipſo jure nullum?*

1. Poſt-

1. POſtquam de conditoribus ſtatutorum eorumque variis interpretandi modis actum eſt, quæ equidem materia eſt optima, & ſubtilis, *Sainſon. ad Turon. tit* 1. §. 5. *p.* 9. ſuadet bona methodus, ut poſt cauſas, effectus varii inde reſultantes primum in genere; dein in ſpecie explicentur. Nullorum tamen ulla erit vis aut efficacia, niſi tria adſint requiſita. Quorum unum ſi deſit, viribus ſtatuta deſtituentur. Primum eſt, ut condantur rite, & juſte ab iis qui condendi habent auctoritatem. Secundum, ut condita promulgentur. Tertium, ut promulgata, recipiantur. *DD. apud Maſcard. de Statutor. interpret. concluſ.* 8. *ſeqq.*

2. Secundi requiſiti conſideratione, occurrit illa difficultas, utrum ſtatuta obligent ſimulac lata ſunt, & publicata? Reſpondeo, quandoquidem ſtatuta non obligant, antequam fuerint intellecta, adeoque innotuerint, id quod ſtatim fieri non poteſt *l.* 9. *Cod. de leg* non etiam videbuntur ſtatuta ſimulac promulgata ſunt ad obedientiam ſui municipes obligare. Nec tamen quemadmodum in legum promulgatione, duorum menſium ſpatium erit exſpectandum. *Novell.* 66. verum tempus modicum, quo commode in notitiam incolarum perveniant. *Arg. l.* 2. §. 4 *D. origin. jur.* Idque propterea, ne probabilis ignorantia poſſit allegari: quæ tranſgreſſores excuſaret. *DD. l.* 8. 9. *D. & Cod. jur. & fact. ignor.*

Et

Et maxime in recens incolâ facto præſumitur, ignorantia, niſi aliquam jam moram fecerit, in illo municipio. Ut tamen hic nihil certi circa tempus ſit determinandum, verum quicquid in dubium trahitur, judicis prudentis relinquendum veniat arbitrio. vid. *Gail. 2. obſ. 48. Menoch. 2. Præſumpt. 3. n. 8. & prolixe Maſcardum de interpret. Statutor. concluſ. 6. n. 144. & ſeqq.* quem hic transſcriptum nolui.

3. Subſequitur altera nec minor, ſed intricatior longe, difficultas, quæ etiam in materiâ legum occurrit: num quæ ſtatuta lata ſunt & promulgata, etiam ad præterita, referri debeant negotia? Reſpondeo, ſi ſtatuta ſimpliciter loquantur, ad exemplum legum, nonniſi ad futura negotia referri debebunt. *l. leges. Cod de leg. l. antep & pen. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. DD. in Auth. de Nupt. in Princ. §. duo igitur. c. fin. de Conſtit. Clement. 2. in fin. de judic.*

Nec tamen ad omnia futura; ſaltem non ad ea quibus homines ad delinquendum invitarentur. Finge, ſtatuta remittere male facta, de præterito, veniam dare delictis, non equidem illa trahenda ad futura. *Arg. l. 27. §. 3. in fin. & § 4. D. de Pact. l. cum lex. D. de leg. ibi Bartol. & Bald. Salicet. in l. 2. Cod gener. Abolit.*

Quod dictum ſtatuta nonniſi ad præterita referri id varias admittit exceptiones, quas

Digitized by Google

quas omnes, ſaltem pleraſque recenſebo.

1 Excipe, niſi nominatim ad præterita referantur. d. l. leges. Quod tamen non intelligendum de præteritis diu & antiquis negotiis, aut quorum memoria non amplius extat; quod hinc occaſio litium & confuſionis omnium rerum, atque jurium oriretur. *l. minime. l. ſed & ea quæ longa. D. leg.* Niſi tamen & in iis idipſum ſuaderet evidens neceſſitas, vel publica utilitas. *Arg. l. 2. D. de Princ. Conſtit.*

Quod etiam non intelligendum eſſe cenſent doctores, in præteritis, duris, rigidis, & odioſis; de quibus tamen addubitarem. vid. *Bartol. in l. omnes populi. D. juſt. & jur. n. 51. quæſt. 5. in Princ. Maſc. libr. all, concl. fin. n. 59. 61. 62.*

Quod etiam non intelligendum de præteritis pendentibus, quod res non ſit integra; niſi & expreſſe pendentia ſint excepta. *Maſc. concluſ. 13.*

Multo minus de præteritis jam deciſis, aut brevi terminandis: puta ſi fuerit renunciatum allegationibus utrimque, ſi concluſum ſit in cauſâ. *Abbas & DD. in c. fin. de Conſtit n. 9.* Niſi tamen expreſſe ſtatuta ad deciſa referantur *d. l. 7. Cod. leg.* Ut tamen deciſis, non lædatur jus tertio jam quæſitum. Aut ſi lædatur, id fiat publicâ ſuadente utilitate, per notata à me in *tit. de Princ. Conſtit. circ. fin.*

Quid ſi, caſu quo ad pendentia negotia re-

ferendum ſit ſtatutum, quod in priori inſtantiâ deciſum eſt, pendeat coram judice appellationis: an etiam ad illam cauſam referri debebit, quaſi adhuc pendentem? Reſp. Quod non. Judex quippe appellationis judicans de ſententiæ iniquitate, ſeſe referre debebit ad illa jura, quæ tempore prioris inſtantiæ obtinebant, ut ſententia à judice inferiori lata, iniquitatis arguatur. Neque enim ſi tempore prioris ſententiæ, eam tuliſſet judex, aliter eam ferre potuiſſet, niſi juri ſtum obtinenti congruenter. Ut nihil aliud facere debeat in ſecundâ inſtantiâ, quam quod judex primæ inſtantiæ fecit, & facere debuit, quo ſententia legibus eſſet conformis. Appellatio enim nihil aliud eſt, quam ab iniquitate ſententiæ provocatio. *l. 1. in init. D. Appell. Auth. ut cum de appell. cognoſc. in init. ſeu nov. 115. Bartol. in l. omnes populi. D. juſt. & jur. n. 40. ibique poſt Gloſſ. Alexand. conſil. 96. libr. 2. n. 3. Maſc. ult. concl. n. 31. 32.*

2. Excipe, niſi ſtatuta poſteriora ſint prioris alicujus ſtatuti declaratoria: utpote quæ ex ſui natura reſpiciunt lata, adeoque præterita. *Arg. l. hæres palam D. Teſtam. Auth. de ea quæ raptor. ſeu nov. 150. in fin. Auth. de filiis ante dotal. inſtrum. nat. §. 1. Canoniſtæ in c. fin. de Conſtit. Felinus, aliique ibid. Bartol. in l. non dubium. Cod. de leg. Jaſon in d. l. n. 10. Maſc. ult. concluſ. n. 41.*

Idem quod de confirmatoriis ſtatutis eſt affirman-

affirmandum. *l. bene à Zenone. Cod. Quadrien. Præſcript c. 1. de Tranſlat. Prælat, Bartol in l. omnes populi. D juſt. & jur. n. 46.*

Non idem tamen dicendum, ratione pœnę adjectæ; ut quæ ad præterita referri non debebit. Quid enim peccavit antiquitas, quę præſentis legis ignara, priſtinam ſecuta eſt obſervantiam. *l. jubemus. 29. in fin. Cod. de Teſtam. Arg. l. 9. Cod. de leg. Zoeſ. D. de leg. n. 43. 44.*

3. Excipe, niſi annullarent actum ex cauſâ de præterito, factum ſcil. contra diſpoſitionem prius exiſtentem, & ipſum actum annullantem. *l. pen. Cod. Inceſtuoſ. Nupt. Auth. de Alien. & Emphyt. §. ſi vero aliquid. c. 5. de Uſur. c. peccat. de Regul. juri in 6. Bartol. l. d. omnes populi. n. 44.*

4. Excipe, niſi ſtatuta poſteriora reſpicerent judicii ordinatoria, quæ etiam quoad illa ordinatoria locum habent in omnibus litibus futuris, licet de præteritis & pendentibus ſint negotiis. *Arg. l. unic. de Errore calculi. Bartol. in d. l. omnes populi. n. 44. Maſcard. de interpret. Statut. concl. ult. n. 49. 50.*

5. Excipe, niſi ſtatuta de præterito, complementum accipiant de futuro, ut tamen ante geſtum in duriori & aſperiori ſtatu non conſtituatur, nec gerendum cum geſto omnino ſit connexum; tum quippe de gerendo, tanquam de geſto judicabitur. *Bartol. in*

d l. n. 47. Bald. ibid. n. 52. Laurus de Palatiis ſuper Statuto Italiæ: Quod Extant. Maſculis fœminæ non ſuccedant. 2. part. Princip. n. 12. Maſc. d. concluſ. n. 52. & ſeqq.

6. Excipe, niſi ſtatuta introducerent aut tollerent aliquam exceptionem, in ordine ad negotia: tum enim ratione negotiorum de præterito etiam illa exceptio locum habebit. Scilicet, ut tempus exceptionis incipiat currere, à tempore conditorum ſtatutorum. Niſi tamen aliud quidpiam expreſſe ſtatuto foret cautum. Argum. *l. pen. Cod. Uſur. l. teſtium. Cod. de Teſtibus. l. fiſcus. D. de Jure fiſc. Abb. Felin in c. fin. de Conſtit. Maſc. d. concluſ. fin. n. 55.*

Hinc pateſcit ratio artic. 21. in med. *nuperæ conſtit. ordin. Ultraj. de ann.* 1659. *april.* 14. Quo introducta exceptio biennii vel 6. menſium, quibuſdam contractibus, etiam ante initis, objiciendum; quæ exceptio in ordine ad ante geſta, à die editæ conſtitutionis currere incipiet. vid. de tali exceptione. *Pichard. accurate ad tit. inſtit. de litterar. obligat. n.* 16. 17. Et de æquitate vel iniquitate talis ſtatuti. *Franciſc. Coſc. in c. Cognoſc. de Conſtit. Tom. 2. Repet. jur. Canon. n. 23. p. 295. Petrum de Ubald. in c. ſi diligenti de Præſcript. Tom. 4 Repet. Juris Canon. n. 68. p. 320.*

7. Excipe, niſi eſſent introducta favore cujuſdam liberationis; maxime ſi non ad delinquendum invitarent. Ut ſi dictarent: quicunque

cunque pacem ab offenſo habuerit, liberetur. Quicunque bannitus fuerit, liberetur, ſi ſolverit decem. *Gloſ. in l. cum ſecundi. D. Injuſt. Teſtam.*

8. Excipe, niſi aliter abſurdus intellectus inde reſultaret, ſi non ad præterita referretur. *Marcus Anton. Marſcot. poſt Jaſonem & alios. in c. ut animarum. de conſtit. Tom. 5. Repet. jur. can. p.* 116 *n.* 62.

4. Tertia generalis difficultas eſt, an ſimulac ſtatuta lata ſunt, & promulgata, etiam in notitiam civium venerunt, ſic ut nulla probabilis ignorantia poſſit allegari, quicquid adverſus ſtatuta factum eſt, vel geſtum, ſit ipſo jure nullum?

Reſpondeo, uti leges ſunt duum generum, ita & ſtatuta. Vel enim erunt minus quam perfecta, vel perfecta. Illa, quæ quidem aliquid fieri vetant, non tamen ſi quid factum ſit, illud quod factum eſt, reſcindunt, verum pœnam delinquenti imponunt. Et dubium nullum, quin indiſtincte, hoc caſu quod contra ſtatuta factum, non ſit ipſo jure nullum. *Ulpian. in Fragment. tit.* 1. *de leg. l. ſanctio legum. D. de Pæn.* Quinimo quædam ſunt prohibita inchoari, quæ tamen non prohibita, poſtquam inchoata, confirmari, ut, poſtquam facta ſunt, teneant. Quæ etiam, licet contra ſtatuta facta, non ſunt ipſo jure nulla. *l. unic. Cod. de Contract. judic. l. & ſi contra, Cod. de Nupt. Arg. l.* 1. §. *biduum. D.*

 quando

quando Appell. Azo in ſumm. Cod. de leg. n. 27.

Quod ſi ſtatuta ſint perfecta, ſic jam loquar ad imitationem Ulpiani, illa iterum non unius erunt ordinis, aut generis.

Vel enim continent alicujus favorem, vel publici boni cauſa ſunt introducta. Illo caſu, quæ contra ſtatuta geſta, non ſunt ipſo jure nulla, ſi modo partis aut partium adſit conſenſus, eorumq; quorum intereſt, quique juri pro ſe introducto poterunt renunciare, *l. pen. Cod. de Pact.* Hoc caſu, aut permittunt, conſulunt; aut prohibent, præcipiunt, mandant. Si permittant, proprie nihil fit contra ſtatuta: quia quæ permittuntur, non ſubjacent juris neceſſitati, uti nec illa, quæ per modum conſilii ſuadentur, licet & hæc poſtrema quandoque partium favore ſint introducta. *Arg. §. fin. inſtit. verb. obligat.* Quæ vero prohibent aliquid fieri, aut fieri mandant. Vel quod contra factum eſt, reſcindi volunt, adeoque non erit etiam, quod contra factum eſt, ipſo jure nullum, reſcindetur tamen. *Arg. l. 1. D. quod Met. cauſ. geſt. Nov.* 115. *c.* 3. *in fin.*

Vel nihil ſtatutis illis eſt adjectum; vel adjecta eſt clauſula irritans, & annullans id quod geſtum eſt. Utroque caſu, quod contra geſtum eſt, ipſo jure non valet, & pro nullo habetur. *l. non dubium. Cod. de leg. ibique DD. c. quæ contra jus. de Reg. jur. in 6.*

Id

Id quod procedit, ſi in conditionali ſtatuto conditio non ſervetur, modo talis ſit conditio, quæ formam internam det ſtatuto, adeoque neceſſaria ſit, ut vel ex verbis, vel intentione ſtatuentis, ineſſe aut adeſſe debeat. *Barboſ. in axiom. jur. verb. forma. Baldus in Auth. matri. Cod. quando. mul. off. tutel. Tiraquell. de Retract. § 1. gloſſ. 21. n. 13. Bartol. in l. 1. n. 9. D. Condit. & Demonſtr.*

Idem quod ut plurimum ſervatur, ſi ſtatuta contineant ablativos abſolutos, quę ſæpiſſime inferunt aliquam neceſſitatem. *l. evictis agris. D. de Evict. l. teſtatore. D. Condit. & demonſtr. vid. Boer. ad Bituricenſ. tit. 8. §. 1. p. 109. Chaſſan. ad Burgund. Rubric. 7. §. 5. in textum. Ne peut faire. n. 1. 2. Maſcard. concluſ. 9. n. 2. 3. 4. & ſeqq. n. 19. & ſeqq. Zoeſ. D. de legibus, n. 47. 48. 49. 50. Sanden. 2. def. 6. tit. 1. Vinnius Select. quæſt. 1.*

SECT. VIII. CAP. II.

1. *Utrum ſtatuta laicorum, uti loquuntur perſonas ligent eccleſiaſticas?*
2. *Utrum cives Academici, territorii ſtatutis ligentur?*
3. *Utrum ratione ſuorum bonorum immobilium?*
4. *Quid de Principe ſtatuendum, & ejus famulitio?*

5. *Quid de Nobilibus?*
6. *Quid de ſubditis extra territorium quid committentibus?*
7. *Quis effectus ſtatuti, ne cives invicem extra territitorium conveniant?*
8. *Quid ſi animal extra territorium portaverit civis, quo ibidem pareret, an nihilominus, id perſolvere teneatur, pro nato animali, ad quod in territorio, ſi pareret, erat obligatus?*
9. *An ſtatutum liget ſubditos, ne extra territorium frequentent cauponas &c.?*

1. PRæmiſſis generalibus ſtatutorum effectubus, in ſpecie quorundam effectus examinandi, idque in ordine perſonarum, quæ ſtatutis ligari, vel non ligari dicuntur. Ubi occurrit, illa inter canoniſtas, & legum doctores agitata quæſtio: Num ſtatuta laicorum uti loquuntur, perſonas ligent eccleſiaſticas? Reſpondeo, cum Eccleſia ſit in republica, etiam eccleſiaſtici ut reipublicæ membra conſiderari debeant, quidni ut pars civitatis Politico magiſtratui, adeoque eorum ſtatutis erunt ſubjecti. Id tamen negari non poterit, quin poſteriores Imperatores plus nimium indulſerint Epiſcopis, id impenſe procurantibus, ne per omnia ſecularium

cularium legibus eſſent alligati. *tot. tit. Cod. Epiſc. Audient. Clapmar. de Arcan. Reipublic. lib. 3. cap. 5. Mev. Prælim. quæſtion. 3. ad jus Lubecenſe. num. 3. & ſeqq. diſſ. Chriſtinæus* cum multis aliis allegatis ad *ll. Mechlin. in Prælud num.* 41. ubi etiam pro parte affirmativâ varios enumerat.

2. Num Academici cives ejus loci ſeu territorii ſtatutis, teneantur, ubi domicilium fovent? Reſpondeo, ſi Præfectorum imperio & juriſdictioni ſubſint, quorum in loco habitant, dubium nullum eſt, quin & eorum ſtatutis ſeſe accommodare debeant, quia ſubjecti; ratione quippe ſubditorum ſtatuta tenent, eoſque conſtringunt. Quod ſi tam in civilibus quam criminalibus cauſis exempti reperiantur, id quod ratione privilegiorum illis conceſſorum in multis obtinet Academiis: etiam non obſtringentur illorum locorum ſtatutis quæ in locis obtinent Academiæ. Certum enim eſt ſtatuta deficere & ceſſare ratione non ſubditorum. Cum quos non continet juriſdictio, eos non conſtringat conſtitutio. Et licet ſint intra limites territorii, quod Academia pro Domicilio agnovit, non tamen ſunt de illo territorio, ratione juriſdictionis; ut nec quoad ſtatuta, ibidem condita, quod ea non receperint. Uti igitur, nec forum ibidem ſortiuntur, nec judicem, ita nec legibus loci tenebuntur. *Arg. l. fin. D. de juriſdict. Authentic. Habita Ibidemque*

Digitized by Google

DD. Cod. Ne filius pro patre. Beſold. in Polit. tract. de Juriſd. Academ. Mev. ad jus Lubecenſe. quaeſt. Prælim. 3. num. 1. & num. 24. ibidemque alii allegati.

3. Verum, an non Academici cives, (qui ſubditi non ſunt, ut dictum, ſi perſonas intueamur, etiam res mobiles, quæ conditionem perſonarum comitantur,) ſubeſſe cogentur ſtatutis, idque ratione bonorum immobilium, in loco domicilii Academiæ ſitorum? Reſpondeo, cum civium Academicorum privilegia tantum ſint perſonalia: quod ibidē immobilia non præſumantur poſſidere, cum pleriq; ſint exteri; in quorum potiſſimū gratiam illa privilegia ſunt conceſſa. Neque ullo privilegio conſtet immobilia territorii, juri civitatis eſſe exempta. Dicendum eſt, eos immobilium ratione ſtatutis loci domicilii ſubjectos eſſe. *Arg. l. ult. D. de juriſd. Authēt. Habita Cod. Ne filius pro patre. Ex parte Pingizerus quaeſt. Saxonic. 29. num. 40. & ſeq.* Eam tamen ſententiam uſu multorū locorum abrogatam eſſe, *ſcribit Mev. in quaeſt. Prælim. 3. num. 30. Ad jus Lubec.* vid. *Richterum ad d. Auth.*

4. Quid de Principe dicendum, anne cum ſtatutis locorum ſubjectum judicabimus? Reſp. Quia ceſſante juriſdictione, etiam ceſſat ſtatutum. Nec quiſpiam inferiorum Principem legibus, adeoque nec ſuæ juriſdictioni ſubjecit. Nec ſuſperior inferioris mandato ligatur. Etiam in generali ſermone com-

muniter

muniter non cenſetur eſſe comprehenſa perſona loquentis. Sequetur Principem ſtatutis obligatum non eſſe, licet in civitate contraheret, aut domicilium foveret. Idem quod miniſtris, & univerſo Principis famulitio DD. applicatum volunt. Niſi tamen vel ſponte ſe ſubjecerit Princeps, vel ſtatuta quid contineant juri divino & naturali conforme, id eſt, honeſtatem naturalem. *l. 18. D. de Minor. l. 4. D. de Recept. Arbitr. l. 19. Cod. de Teſtamen. §. fin. Inſtit. quibus mod. Teſtam. infirm. l. 14. D. de juriſd. l. 4. Cod. de leg. Argum. l. 2. Cod. de Offic. Magiſtr. milit. l. 1. in fin. Cod. Si quacunque præd. poteſtat. in v. cum ſuam, ſuorumque domin. inquiſitio. Cod. de Solut. l. 4. Cod. de leg. Andr. de Exea in Repet. jur. canon. tom. 2. in c. canonum ſtatuta, de Conſtit. p. 189. n. 248. Petr. Heigius part. 2. quæſt. 25. per totum. Menoch. libr. 2. Præſumpt. 5. Imbert. inſtit. Forenſ. libr. 1. cap. 1. in comment. Peck. de jur. ſiſtend. cap. 22. num. 2. & ſeq. Chriſtin. ad Mechlin. in Epilog. num. 25. Zoeſ. D. de Princip. Conſtit. num. 38.*

5. An igitur & nobiles ſtatutis ſuæ civitatis, tenebuntur? Reſp. Si incolæ ſint civitatis ipſo incolatu, niſi exemptionem jure certo docere poſſint, non tantum ratione bonorum, verum etiam ratione perſonarum, ejus loci, ubi habent domicilium, & juriſdictionem, & ſtatuta agnoſcere tenentur. Quod in tantum verum eſt, ut nullis civitatis

oneribus ſint exempti; etiam propter munera ſibi impoſitâ, quæ ſubire detrectant, pænâ quâ pecuniariâ conſtringantur. *l.* 3. §. 1. *l.* 16. *D. de Muner. & Honor. l* 10. *D. de Vacat. & Excuſ. Muner. l.* 9. *Cod. de Excuſ. Muner. l.* 3. *Cod. de quibus muner. nulli lic. l.* 1. *Cod. de Decret. Decur. ſuper Immun. Novell.* 15. *cap.* 1. *&* 6. *in fin. Merul. lib.* 4. *Prax. civil. diſt.* 2. *tit.* 1. *cap.* 5. *Baptiſt. Cæſar. Conſil. Illuſtr.* 70. *part.* 2. *Chriſtin. deciſ.* 102. *volum.* 1. *Mev. quæſt. Prælim.* 4. *ad jus Lubec.*

6. Verum an unquam ſtatuta, verbi gratia prohibitoria, aut præcipientia ſubditos obſtringent, aliquid extra territorium committentes? Reſpondeo, quemadmodum lex omnes Imperio ſubjectos ligat, ubicunque locorum verſentur, & ideo etiam ab iis, qui forte in peregrinatione hærent obſervari debet: ita etiam ſtatutum nonnunquam obligat ſubditos extra territorium, præſertim ſi id exprimatur, ne quid ſub pœnâ, extra territorium committant. *Argum. Init. v. Nam cum decederet in Africa. & v. propter magnas. Inſtit. de Codicill. l.* 13. *D. qui teſtam. facere poſſ. l. fin. D. de decret. ab Ordin. faciend. l.* 2. *l. Mercatorem* 4. *Cod. d. Commerc. & Mercator. Alexander. Conſil.* 41. *libr.* 6, *Baldax. de Angel. in Prato ſuper primo libr. Cod. ad l.* 3. *de legibus. Peck. de jur. ſiſtendi cap.* 8. *Chriſtin.* [illegible] *chlin. tit.* 12. *artic.* 9. *num.* 7. *vid.* [illegible] *Gabriel. comm. opinion. libr.* 6. *concluſ.*

cluſ. 8. *ibidemque varias limitationes.* vid. mea antecedentia.

7. Unde quæſitum, an ſi ſtatutum diſponat, ne concives invicem judicio conveniant extra territorium; quale eſt conceſſum Brabantinis, læto introitu, Philipp. II. Hiſp. Regis, quale etiam apud Hollandos, alioſque obtinet; aliquid operetur extra territorium ſtatuentis? Reſp. Si ſpectemus concives invicem extra Provinciam ſiſtentes; eo uſque effectum ſortietur hoc ſtatutum ut concives in loco ſtatuentis mandato pœnali impetrato invicem ad hoc cogant, ut refuſis expenſis, liti extra territorium inchoatæ renuncient. Id quod etiam obtinet ſecundum auream bullam *Caroli IV.* *verb. cum per duos Romanos Imperat.*, ubi quia omnes uni ſubſunt Imperatori, actus in contrarium declaratur nullus. Quod ſi ſpectemus judices exteros, ſtatutum nihil operabitur quoad illos, quia illi extra territorium ſtatuentis, adeoque inſuper habito tali ſtatuto, adhuc arreſtum perſonæ, admittent. Ut id ipſum de re arreſtanda, multo magis ſit dicendum; niſi obſtent concordata. Et quia extra territorium jus dicenti, impune non paretur. Et quia actio realis in loco rei ſitæ intentari poteſt. Et quia tale ſtatutum, quod meo judicio admodum anomalum, non facile ad correctionem juris civilis eſt extendendum, ſi in ordine ad cives ſtatuentis adhuc aliquid operetur. *l. ult. D.*

de juriſd. l. ult. Cod. Ubi in rem act. l. 38. *D. de jud. Tiraq. de jure Primog. q* 48. *n.* 7. *Zanger. de Except. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 259. *n.* 283. 284. *Aurea bull. Carol. V. de ann.* 1530. *Lætus introitus Philipp. II. Hiſp. Reg. artic.* 24. *&* 32. *Vivien. in comm. ad læt. introit. prolog. -- vid. Jaſon. Conſil.* 201. *num.* 16. *vol.* 2. 4. *Panorm. in cap. ex pacto* 31. *de verb. ſignif. num.* 2. 3. *Matth. Weſemb. conſ.* 201. *per totum. Nicol. Everhard. conſ.* 45. *n.* 4. *Sententia in Hollandiâ lata de ann.* 1549. *Mart.* 13. *Grot. Antiq. Batav. cap.* 5. *p. mihi* 36. 37. *Berlich. deciſ. aurear. part.* 2. *dec.* 245. *Mevius ad jus Lubec. lib.* 5. *tit.* 3. 4. *art.* 4. *n.* 8. Itaque in Vianenſi Camerâ intelleximus. ann. 1660. dec. 19.

8. Hinc ſi ſtatutum dictet, quæ communis eſt opinio, ut proprietarius pro quolibet animali, in territorio nato, aliquid perſolvere debeat, obligabitur ad ſolutionem ſummæ impoſitæ, licet animal prægnans extra territorium portaverit, ut ibi pareret. Commiſſum quippe in fraudem ſtatuti extra territorium, ligat ſubditum, ad pœnam in territorio ſubeundam. *l.* 2. *Cod. de Eunuch. Bartol. in l. ſatis. n.* 13. *Cod. de Agricol. & cenſit. allegat. à Baldax. de Angel. Neapol. in Prato ſuper* 1. *libr. Cod. ad l.* 3. *Cod. de legibus. Gabriel. comm. opin. libr.* 6. *concluſ.* 8.

9. Quæ etiam ratio eſt, quod ſtatutum valeat, & omnino ſubditos conſtringat, etiam

am extra territorium, quo iiſdem interdicitur, ne vel molendinis extra juriſdictionem civitatis poſitis, utantur, vel cauponas extra territorium exercitas, ubi cerviſia vili venditur, frequentent. Eſt enim ſtatutum, quaſi perſonale, ſaltem pœnale, quod ligat ſubditos territorium exeuntes, ratione pœnæ eidem appoſitæ. *Arg. l. 2. Cod. de Eunuch. l. 2. 4. Cod. Comm. Mercat. Alex. vol. 2. conſil. 211. in fin. Præſ. Everhard. conſil. 45. vid. & à me alleg. ſuperius in cap. de Stat. diviſ. Diſſ. ex parte Hartman. Piſtor. obſervat.* 200. poſt alios ibidem allegatos.

SECTIO NONA

CAPUT PRIMUM.

1. *Quis ordo ſervandus in effectubus ſtatutorum comparatis?*
2. *Si contentio de re, aut in rem actione, aut de actione perſonali, ſed in rem ſcriptâ, quale ſpectandum ſtatutum?*
3. *Quale in ſucceſſione ab inteſtato?*
4. *Quale in ſucceſſione teſtamentariâ?*
5. *Quale ſi bona ſint feudalia?*
6. *Feuda per omnia patrimonialibus non comparantur.*

7. *Quale,*

Digitized by Google

7. *Quale, ſi de miſſione in poſſeſſionem feudi?*

8. *Quale, ſi de bonis mobilibus, controverſia?*

9. *Quid ſtatuendum, caſu quo duobus in locis quis habet domicilium?*

10. *Caſus deciditur, quo jure Aeſdonico & Scabinico, in mobilia ſucceditur, ratione ſtatuti loci, ubi quis moritur.*

11. *Quale ſtatutum ſpectandum, ſi de nominibus & actionibus contentio?*

12. *Traditur caſus exceptus.*

13. *Quale ſpectandum ſtatutum, ſi de annuis reditibus contentio?*

14. *Quænam mobilium aut immobilium veniant nomine?*

1. HActenus explicui, & quidem facili negotio ſtatutorum effectus abſolutos; ſunt etiam difficultates evolvendæ, circa effectus ſtatutorum comparatos; dum variorum locorum ſtatuta diſſonantia, circa unam eademque rem, vel perſonam, vel negotia, concurrunt; quæ longe prioribus ſunt explicatione difficiliores. Quoad tamen fieri poterit, pleraſque ex quibus de cæteris facile judicandum, in ordinem redigam, ſicque me

præſtitiſſe,

præſtitiſſe, quod ante me forte non alius, judicabit ille, qui extra partes conſtitutus mea legerit, & perlegerit accurate. In quibus ne quid intactum maneat, hanc ſervabo methodum; ut agam. 1. De negotiis realibus. 2. De Solemnibus, negotiorum. 3. De perſonalibus ſtatutis. 4. De cauſis judicialibus. 5. De delictis, eorumque pœnis.

2. Quid ſi itaque contentio de aliquo jure in re, ſeu ex ipsâ re deſcendente? vel ex contractu, vel actione perſonali, ſed in rem ſcriptâ? An ſpectabitur loci ſtatutum, ubi dominus habet domicilium, an ſtatutum rei ſitæ? Reſp. Statutum rei ſitæ. Ut tamen actio etiam intentari poſſit ubi reus habet domicilium. Idque obtinet, ſive forenſis ſit ille, de cujus re controverſia eſt, ſive incola loci, ubi res eſt ſita. *l. ult. D. de juriſd. l. pupillo. D. Tutor. & Curat. dat. l. venditor. §. ſi conſtat. D. comm. prædior. l. reſcripto. in fin. D. Muner. & honor. l. an in totum. Cod. de Ædif. Privat. tit. Cod. Ubi in rem actio. l. certa ſumma. Cod. de Jure fiſci. libr.* 10. *Alderan. Maſc. de interpret. ſtatutor. concl.* 6. *n* 101. 102. *& ſeqq. vid. Choppin. ad Pariſ.* 2. *tit.* 5, *n.* 21. 22. *Barboſ. ad l.* 65. *D. judic. n.* 152. *& ſeqq.*

3. Quid ſi circa ſucceſſionem ab inteſtato, ſtatutorum ſit difformitas? Spectabitur loci ſtatutum, ubi immobilia ſita, non ubi teſtator moritur. Unde primogenitus in Angliâ, tantum patri ſuccedit, ratione bonorum

rum Anglicanorum. Ratione bonorum in Belgio jacentium, pari jure cum fratribus concurret, nec gaudebit jure præcipui, niſi in ſpecie id illi deferat ſtatutum, mobilium quorundam ratione. *Arg. ll. allegatarum. Covarr. de Sponſal. part. 2. c. 7. n. 8. Gabriel. comm. opin. libr. 6. de Statut. concluſ. 9. ibique varii. Gilken. ad init. Tit. Cod. de Summ. Trinit. n. 78. & ſeqq. & n. 83. 84. Barboſ. ad l. hæres abſens. §. proinde. in articul. de foro ratione rei ſitæ, per totum. D. de Judic.* vid. de illo Angliæ ſtatuto, ejuſque explicatione diſtinguentem, ſed perperam, *Bertachin. tractat. de Epiſcop. 2. part. libr. 4. q. 18. n. 50. vol. 5. tractat. Martinum Laudenſem. de Primogen. q. 28. vol. 6. tractat. Prolixe Johann. le Cirier de Primogen. libr. 2. q. 6. 7. 8. fol. 175. vol. 8. tractat. Grav. 2. concluſ. 123 Matth. Stephani de juriſd. 33. n. 54. Bacchov. ad Treutl. 1. diſp. theſ. ult. litt. e. Maſcard. d. concl. 6. n. 203. & ſeqq.* Ubi caſum excipit, quo ſtatuto expreſſe cautum eſt, ne forenſis ita ut municeps ſuccederet, *n.* 207. diſſ. *Schultet. 1. quæſt. pract. 24. n. 5. & ſeqq.* qui domicilii locum vult ſpectari, *per l. 50. D. Pet. hæred. Neque obſt. l. 28. Cod. Epiſc. Cleris.* Quia omnes ſuberant uni imperatori; nec dicam quod etiam favor piæ cauſæ quid operetur.

4. Quid ſi teſtamento bona immobilia relicta, diverſis ſubjaceant ſtatutis? Idem dicendum; nihil enim intereſt, teſtatus quis

an

an inteſtatus decedat, ut locus ſit regulæ: extra territorium jus dicenti, impune non paretur. *l. ult. D. juriſd.*

Ut immobilia ſtatutis loci regantur, ubi ſita, *DD. ad l.* 1. *Cod. de Summ. Trinit.* prolixe *Johannes le Cirier. de Primogenitura. q.* 6. 7. 8. 9. *libr.* 2. *vol.* 8. *Tractat. Coraſ. de juris arte. p.* 3. *c.* 13. *Gail.* 2. *obſ.* 124. *Mynſing. cent.* 5 *obſ.* 19. *Cravett. conſil.* 30. *n.* 3. *part.* 1. *Burgund. ad Flandr. tract.* 6. & 7. *Argentr. ad Brittann. art.* 218. *n.* 24. 25. *Hartman. Piſtoris obſ.* 55. *n.* 1. *Bocer. Claſſ.* 1. *diſp.* 3. *n.* 44. *Coler. Proceſſ. execut. p.* 1. *c.* 3. *n.* 244. *Beſold ad l.* 9. *tit.* 1. *libr.* 1. *D. n.* 7. *Sand. libr.* 4. *tit.* 1. *def.* 14. & *tit.* 8. *def.* 7. & *libr.* 2. *tit.* 5 *def.* 109. *Perez. Cod. Teſtam. n.* 22. *Chriſtin. ad Mechlin. tit.* 16. *artic.* 39 *idem vol.* 2. *deciſ.* 59. & *in Prælud. ad Mechlin. n.* 53. *Coren obſ. Cur. ſuprem.* 20. *p.* 77. *Perez. Cod. Teſtam. n.* 22. *Groenw. ad Grot. introd. jur. Holl. part.* 26. *libr.* 2. *in fin. Rodenb. tract. de jure conjug. cap.* 5. *tit.* 2. *p.* 98.

5. Quid ſi inter immobilia reperiatur feudum, an feudi ratione ſpectabitur ſtatutum rei ſitæ, an curiæ feudalis, an rei, à quâ dependet feudum? Reſp. etſi feudi natura reſpiciat ſuum principium, ut videatur attendendum rei ſtatutum à quâ tenetur: quia tamen membra regi debebunt ſecundū loci conſuetudinem, ubi ſita, nec ſtatutum rem afficere poteſt,

poteſt, extra ſtatuentis territorium jacentem: etiam loci ſtatutum, ubi feudum reperitur ſpectari debebit. Regula quippe generalis eſt, nec ullibi feudum excipitur. *l. ult. D. juriſd. & tit. Cod. Ubi in rem actio. Clem. 1. de Reſcriptis. Bald. Angel. ad d. l. ult. gloſſ. in l. qui filium. §. Sabinus. D. Ad Trebell. Tiraq. tom. 2. de jure Primog. q. 50. n. 2. & de Retract. tit. 1. §. 26. gloſſ. 3. n. 20. & ſeqq. Chaſſan. ad Burgund. tit. de feudis. Rubric. 3. §. 7. in textu. & ſecundum ipſius naturam. p. 538. Imbert. in Enchir. verb. conſuet. regionis. Boerius. ad Bituricenſ. tit. 3. §. 2. gloſſ. 2. Neoſt. de feud. Holland. ſucceſſ. c. 6. n. 29. 30. 31. vid. Chriſtin. volum. 6. deciſ. 48.*

6. Non tamen probo quorundam rationem, qui ideo cenſent & feudum ſtatuto loci ubi ſitum eſt, regi, quod de moribus patrimonialibus annumeretur. Quia licet nonnulli feudum velint ad inſtar patrimonii, ut *Burgund. ad Flandr. tract. 3. n. 18. 19. Neoſt. feud. Holl. c. 1. in fin. Zoeſ. D. Contr. Empt. n. 17.* Id tamen non per omnia procedit, ut particula *fere*, adjici debuerit, ſecundum *Sand. de feud. Gelr. tract. 1. cap. 1. n. 3. & tract. 2. tit. 1. c. 1. n. 14. p. 271. Goris. Adv. 3. c. 7. n. 7.*

7. Si tamen de miſſione in poſſeſſionem bonorum feudalium controverſia; an ſtatuta domus mortuariæ, an rei ſitæ ſpectanda, diſquiritur? Reſp. Reformatores

Zutphanien-

Zutphanienſes respexerunt locum domicilii, Tranſiſulani, locum rei ſitæ, ut in quæſtione propoſitâ, mores varient. *vid. Sand. ad conſ. feud. Gelr. tract. 3. c. 1. §. 4. n. 21.*

8. Verum an quod de bonis immobilibus dictum, idem de mobilibus ſtatuendum erit? Reſp. Quod non. Quia illorum bonorum nomine nemo cenſetur ſemet loci legibus ſubjeciſſe. Ut quæ certum locum non habent, quia facile de loco in locum transferuntur, adeoque ſecundum loci ſtatuta regulantur, ubi domicilium habuit defunctus. Niſi tamen perpetui uſus gratiâ ex deſtinatione patris-familias in uno loco manere debeant; quo caſu immobilibus comparabuntur. Vel niſi arreſto incluſa, de moribus, ibi cenſeantur eſſe, ubi detinentur, non tamen in ratione ſuccedendi. Vel niſi ſecundum jus antiquum Hollandicum bona mobilia dirigantur ad ſucceſſionem ſtatuti loci illius, ubi quiſpiam ſupremum diem clauſit; licet forte ibi tranſiverit tantum, aut ad animi relaxationem ſemet eo contulerit. *l. ex facto. 35. verb. 3. 4. D. Hered. inſtit. l. 32. D. de Pignor. & Hypothec. l. 89. D. de leg. 3. l. 19. §. 2. D. de Judic. l. 1. & 2. Cod. de Rer. & verbor. ſignif. Tiraquell. de jure primog. q. 47. 48. 49. Gail. 2. obſ. 124. n. 18. Burgund. ad conſ. Flandr. tract. 1. n. 36. & tract. 2. 32. Sand. libr. 4. tit. 8. def. 7. Petrus Weſemb. conſil. 1. n. 65.*

n. 65. Molin. ad Pariſ. §. 33. Gloſſ. 1. n. 86. Choppin. de Moribus Pariſ. l. 1. tit. 1. n. 4. & libr. 2. tit. 5. n. 21. 22. Everhard. conſil. 206. Argentr. ad Brittann. art. 218. gloſſ. 6. n. 24. Bocer. Claſſ. 1. diſp. 3. Beſold. ad l. 9. D. de juſt. & jur. n. 7. Chriſtin. vol. 2. deciſ. 59. & ad ll. Mechlin. tit. 16. artic. 39. Mev. quæſt. Prælim. 4. num. 26. Anton. Matth. tract. de Auction. libr. 1. c. 21. n. 41. & Auctar. de divort. leg. & uſus. n. 58. poſt ſucceſſ. Groenw. ad Grot. introd. juris Holland. part. 26. libr. 2. in fin. vid. mea. cap. de diviſ. Stat.

9. Occaſione præcedentis difficultatis, duæ ſubjungendæ quæſtiones. Primo, quid ſtatuendum foret, caſu quo quiſpiam duobus in locis haberet domicilium? Reſpondeo, etſi de jure Romano in concurſu loci originis, & domicilii, potior eſſet ratio originis, quam quidem domicilii; ut illic potiſſimum quis eſſe intelligeretur, ſaltem reputaretur. *l. cum ſatis. in Princ. Cod. de Agric. cenſ. Boer. deciſ. 13. n. 49. Barboſ. ad l. 19. §. proinde artic. de foro ration. origin. n. 36. ibique plures. Qui d. l. 19. fin. §. n. 61. & ſeqq. diſtinguit.* Quia tamen de moribus locus originis non conſideratur & amiſſus cenſetur. ſi quiſpiam per annum & diem alibi ſe contulerit, animo domicilium figendi, nec in loco originis foverit domicilium. Dicendum videtur, ſi duobus in locis habuerit domicilium, alterum alteri non prævaliturum. Atque adeo ſecundum

dum ſtatuta cujuſque loci, mobilia ubi ſita ex deſtinatione patris-familias dirigenda eſſe. Uno tamen caſu excepto ſecundum naturam juris Aeſdonici, quo ad ſucceſſionem loci diriguntur mobilia, ubi qnis obiit, non ubi domicilium habebat defunctus. *l.* 17. §. 3. *D. Ad Munic. Choppin. ad Mores Pariſienſ. libr.* 1. *tit.* 1. *num.* 11. *Burgund. ad conſuet. Flandr. tract.* 2. *num.* 1. 2. *Gail.* 2. *obſerv.* 36. *Mev. ad jus Lubec. libr.* 3. *tit.* 1. *art.* 10. *&* 11. *& poſt illos. Ad Grot. introd. juriſpr. Holland. libr.* 2. *part.* 26. *Groenw. in not. Christ. Rodenb. cap.* 2. *tit.* 2. *alleg. tract.* Vid. tamen de foro ratione originis, quod moribus vix obtinet. *Barboſ. d. l.* 19. *art. de foro origin.*

10. Unde ſecundo quæſitum in hypotheſi, num ſi Roterodami habitans impubes, ubi pater filio non ſuccedit ſecundum jus Scabinicum, ſeſe Leidam conferat, ubi pater ſecundum jus Aeſdonicum filio ſuccederet, ibique in fata concedat, jus Leidenſe, num vero Roterodamenſe ſit ſpectandum? Reſpondeo, licet communiter ſpectetur ſtatutum loci, ubi bona immobilia ſita ſunt, quoad ſucceſſiones tam ab inteſtato, quam ex teſtamento, uti idipſum fuit probatum per ll. & DD. allegatos diſquiſitione ſuperiori. Et locus ſtatuti, quoad bona mobilia, ubi defunctus habuit domicilium. Quia tamen ſecundum jura Aeſdonica & Scabinica id ſpeciale eſt, ut quoad

quoad bona mobilia ſpectetur loci ſtatutum, ubi quis defungitur: ideo non ſecundum jus Roterodamenſe, ſed potius Leidenſe, pater ratione mobilium filio ſuccedet. Niſi tamen, . caſus notandus eſt, pupillus vel ſine tutorum conſenſu, ſeu cameræ pupillaris, ſeſe Leidam contulerit; & id ipſum videatur in fraudem ſtatuti factum. Quo caſu ſtatutum Roterodamenſe ſuas vires obtinere deberet. *Conſultat. juriſconſ Batav. part.* 1. *conſil.* 152. *per ibidem allegatos. Bartol. Panormit. Beër. Maſcard. vid. caſum ſimilem in cauſa teſtati apud Peckium de Teſtam. Conjug. lib.* 4. *cap.* 29. *num.* 2. *Groenweg. in notis ad Grot. introd. jur. Holl. libr.* 2 *part.* 26. *in fin. vid. & in ſimili Chriſt. Rodenburch d. tract. cap.* 1. *num.* 5. *& cap.* 2. *part. ult. tit.* 2. *Simon van der Leeuwen Paratit. jur. noviſſ. lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 3.

11. Verum, quid de nominibus & actionibus ſtatuendum erit? Reſpondeo, quia proprie loquendo, nec mobilium nec immobilium veniunt appellatione. Etiam vere non ſunt in loco, quia incorporalia. *l.* 3. *in init. D. pro ſocio. l. Gajus.* 86. *in princ. D. leg.* 2. *init. inſtit. de Rebus corpor. & incorp.* Ideo non ſine diſtinctione res temperari poterit. Aut igitur realis erit actio, tendens ad immobilia, & ſpectabitur ſtatutum loci ſitus immobilium. Aut erit actio realis ſpectans mobilia, & idem ſervandū erit quod de mobilibus

libus dictum eſt. Aut erit actio perſonalis ſive ad mobilia, ſive ad immobilia pertinens; quæ cum inhæreat oſſibus perſonæ, ſtatutum loci creditorum æſtimari debebit. *l. ſi quis ergo caſus. D. de Pecul. l. 3. D. pro ſocio. l. 47. in 2. D. Admin. tutel. l. 100. D. de ſolut. ... lex. conſ. 16. libr. 1. n. 2. 3. Peck. de Teſtam. Conjug. libr. 5. c. 30. n. 3. Petrus Weſemb. conſ. 1. n. 67. Mev queſt. Prælim. 6. ad jus Lubec. n. 25. & ſeq. Michael Nizol. Alleg. 19. n. 55. vid. Sand. 4. tit. 4. def. 6. per tradita à Covarr. 2. variar. Reſol. 3. Chriſtin. vol. 2. deciſ. 60. Deciſ. Capell. Tholoſ. 316.*

12. Nonnunquam tamen quantum ad onus adminiſtrationis, curam & ſollicitudinem, ex patrimonio loci contractus cenſentur, vel ejus loci, in quem deſtinata eſt ſolutio, de quibus in ſeqq. *vid. tamen Salicet. ad l. 1. Cod. ſum. Trinit. n. 14. in med.*

13. An quod de actionibus, etiam de annuis reditibus ſtatuendum erit, quos moriens in diverſis reliquit Provinciis, ubi variant, ſtatuta? Reſpondeo, licet Beſoldus illorum nomine velit neminem dici poſſe ſubjectum: quia tamen adinſtar actionum vel mobilibus vel immobilibus annumerari poterunt, etiam adhibitâ ſubſequenti diſtinctione terminanda erit quæſtio. Vel enim talium redituum nomine ſunt affecta immobilia, id eſt ſuper immobilibus ſunt conſtituti, & immobilibus erunt adſcribendi, adeoque ſtatu-

O um

tum loci ſitus ſpectabitur, vel immobilia affecta non ſunt illis reditibus, tumque mobilibus poterunt accenſeri, atq; adeo ſtatutũ loci perſonæ, cujus illi ſũt reditus, inſpici debebit.

An vero reditus annui à Provinciis, vel civitatibus debiti, immobilibus ſint annumerandi, non id auſim affirmare, licet ſint qui id tueantur; quod ea ſententia curiarum arreſtis ſit confirmata. Etiam nuperâ ordin. Ultraj. deciſ. Ann. 1659. April. 14. artic. 12. Malim tamen (neque enim hæc ordin. noſtrorum conſtitutio ubique obtinet) diſtinguere inter illos reditus, quorum nomine 40. nummus ſolvitur, & quorum nomine nihil penditur. Ut illi immobilibus, hi mobilibus ſint annumerandi. *Arg. l. pen. Cod Agricol. Cenſit. vid. Boër. quæſt. 119. Sneidwin. ad §. retinendæ. inſtit. de interdict. n. 7. & ſeq. Gail. 2 obſ. 11. Radelant. deciſ. Cur. Ultraj* 88. & 116. *Petrum Weſemb. Conſil.* 1. Qui tamen inter præteritos & futuros reditus diſtinguit. *n.* 53. *& ſeqq.* Vid. *Anton. Matth. tract. de Auction. libr.* 1. *cap.* 3. *in fin. Chriſtin. vol.* 2. *deciſ.* 61. *Rodenb. de Jure Conjug. tit.* 2. *c.* 2. *p.* 34. 35. *n.* 3. *Paulo aliter Peck. libr.* 5. *de Teſtam. conjug. cap.* 30. *n. fin. in fin, ibique varii.*

14. Quando autem actiones vel reditus annui, vel ſervitutes & jura, mobilium aut immobilium nomine veniant, explicat *Gabriel comm. opin. libr.* 6. *de verb. ſignif. concl.* 7. 8.

Et

Et quænam mobilibus vel immobilibus ſint annumeranda? Determinant varii: ut *Tiraquell. de jure Primogen. q. 47. 48. 49. uſque ad p. 64. verſum Chaſſan. ad Burgund. Rubric.* 10. §. 1. *verb.* ſon heritage *n.* 8. *Argentr. ad Brittann. artic.* 60. *Gloſſ.* 3. *n.* 7. *Ann. Robert.* 3. *Judic.* 9. *Franciſc. Sarmient* 6. *ſelect. interpr.* 15. *Choppin. de Moribus Pariſ. libr.* 1. *tit.* 1. *per totum. Johan. le Cerier. de Primogen. q.* 6. 7. 8. 9. *libr.* 2. *Montan. de Tutel. c.* 33. *n.* 123. *Barboſ. collect. in Cod. ad l.* 14. *n.* 5. 8. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. Teſaur. deciſ.* 160. *Cujac. Parat. Cod. in quibus cauſ. ceſſat. long. tempor. præſcr. & ad tit.* 2. *libr.* 1. *feud. Goris ad conſuet. Velav. c.* 13. *art.* 4. *gloſſ.* 1. *p.* 210. *& c.* 14. *p.* 213. *Zoeſ. D. Rer. diviſ. n.* 5. 6. *& D. Adq. Domin. n.* 74. *Herbajus. Rer. quot. c.* 18. *Mev. ad Lubec. part.* 1. *qu.* 6. *n.* 25. *& libr.* 1. *tit.* 10. *art.* 6. *n.* 70. *Anton. Matth. diſp.* 2. *de Servit. n.* 6.

SECT. IX. CAP. II.

1. *Quid ſi quis teſtetur in loco domicilii, adhibitis ſolemnibus loci, ubi res ſita?*
2. *Quid ſi quis teſtetur ſecundum ſui loci ſolemnia?*
3. *Quid ſi forenſis ſecundum loci ſtatutum teſtamentum condat, ubi tantum hoſpitatur?*

O 2 4. Quid

4. *Quid ſi in fraudem ſtatuti alibi teſtamentum condat?*

5. *Quid ſi forenſis cum virgine matrimonium ineat, an contrahere cenſebitur ſecundum ſtatutum patriæ virginis?*

6. *Quid ſi de lucro dotis contentio, cujus loci ſpectandum erit ſtatutum?*

7. *Quid ſi maritus domicilium tranſtulerit, an prioris an poſterioris ſpectandum erit ſtatutum?*

8. *Quid ſi ſtatutum loquatur de hypothecâ, competenti uxori in mariti bonis?*

9. *Quid ſi de contractibus propriè dictis eorumque ſolemnibus contentio? Ubi & variæ exceptiones.*

10. *Quid ſi de contractus naturâ, deque iis, quæ eum comitantur, ſit contentio?*

11. *Quotuplex ſit locus contractus?*

12. *Quis locus ſpectandus ratione effectus ſeu complementi contractus?*

13. *Quid ſi alternative in plura loca deſtinata ſit ſolutio?*

14. *Quid ſi de litteris cambii incidat quæſtio?*

15. *Quid*

15. *Quid ſi de valore nummorum contentio?*

16. *Quid ſi credita ſint* 10. *dolia vini Aurelianenſis, Amſterodami ſolvenda?*

17. *Quid ſi pupillo dandus ſit tutor?*

18. *Quid ſi curator bonis dandus?*

19. *Quid ſi rationes ſint reddendæ?*

20. *In integrum reſtitutione petitâ, quale ſtatutum ſpectandum?*

21. *Quid ſi mulier adverſus dotem velit reſtitui?*

1. VErum, quid de Solemnibus, in negotiis, adhibendis, ſtatuendum erit ſi locorum ſtatuta diſcrepent? Finge quempiam teſtari in loco domicilii adhibitis ſolemnibus rei ſitæ, non ſui domicilii, valebitne teſtamentum ratione bonorum alibi ſitorum? Reſp. quod non. Neque enim aliter teſtamentum valere poteſt, quam ſi ea ſervetur ſolemnitas, quam requirit locus geſtionis. Argum. *l. fin. Cod. Teſtam. l.* 1. *Cod. Emanc. Gudelinus de jure noviſſ. libr.* 2. *c.* 5. *Perez. Cod. de Teſtam. n.* 21. *vid. Mev. quæſt. Prælim.* 6. *n* 8. *ibique alii. Rodenb. de jure conj. c.* 3 *tit.* 2. *n.* 2. & *c.* 4. *tit.* 2. *n.* 4.

2. Quid ſi quiſpiam teſtetur ſecundum ſolemnia ſui loci, puta coram notario & duobus

bus teſtibus, an vires capiet teſtamentum ratione bonorum, extra territorium ſtatuentis jacentium, puta in Friſiâ, ubi plures ſolemnitates requiruntur? Aff. Idque procedit ſive teſtator domicilium prius retinuerit, ſive alio tranſtulerit. Arg. *l. fin. Cod. Teſtam. l. fin. D. Teſtam. Milit. l. 27. Cod. Donat. Gail. 2. obſ. 123. Mynſing. 5. Obſerv. 20. Salicet. Cod. ſumm. Trinit. l. 1. n. 8. in fin. Gabriel. comm. opin. libr. 6. de Conſuet. concl. 2. ibique varii, cum limitationibus. Baptiſta Villalobos in tom. comm. opin. verb ſtatutum. p. 354. Johannes Bertachin. de Epiſcop. libr. 4. part. 2. quæſt. 18. n. 45. Peck. de Teſtam. conjug. libr. 4. c. 28. n. 9. Covarr. de Sponſal. p. 2. c. 7. n. 8. Matth. Stephani. 1. de juriſd. c. 33 n. 54. Bocer. claſſ. 1. diſp. 3. n. 43. Gilken. ad l. 1. Cod. Summ. Trinit. n. 16. 58. Burgund. ad conſ. Flandr. tract. 6. Radel. deciſ. 126. Hænon. ad inſtit. diſp. 7. n. 5. Zoeſ. D. qui Teſtam. facere poſſ. n. 49. Perez. Cod. de Teſtam. n. 22. Rodenb. de jure conjug. p. alter. tit. 2. cap. 3. n. 1. Deſſel. in notis ad Zoeſ. inſtit. de Teſtam. ordin. n. 16.* vid. *Fachin. diſſ. 5. centr. 91.*

3. Quid ſi forenſis ſecundum loci ſtatutum teſtamentum condat, ubi tantum hoſpitatur, an valebit alibi, ubi vel immobilia, vel domicilium habet. Reſpondeo, quod ita. Cum enim hic agatur de actus ſolemnitate, quæ quoſcunq; obligat in loco negotium aliquod gerentes, etiam obligabit forenſem ibi diſpo-

nentem,

nentem, ſi ſuam diſpoſitionem, vel ſuum actum velit utilem; licet non præciſe liget eundem. Statutum quippe circa ſolemnia nec eſt in rem, nec in perſonam, ſed mixti generis: quod etiam obligare forenſem ibi, ubi quid gerit, in capite de ſtatutorum diviſione fuit explicatum. Niſi tamen privilegii loco aliquid datum ſit civibus, excluſis extraneis. *Arg. l. 7. D. de Reg. jur. l. ult. D. Teſtam. Milit. l. ult. Cod. de Teſtam. Bartol. in l. 1. Cod. Emanc. liberor. Alexand. conſil. 44. vol. 5. Gail. 2. obſ. 123. Boër. ad Bituric. tit. 8. §. 4. p. 119. poſt Bartol. Baldum. alioſque. Sichard. in l. 9. Cod. de Teſtam. n. 10. Bocer. claſſ. 1. diſp. 3. n. 43. diſſ. Oldrad. conſil. 248. Cujac. 14. obſ. 12. Burgund. ad Conſ. Flandr. tract. 6. Beſold. ad l. 9. tit. 1. libr. 1. D. n. 5. 6. Gothefr. ad l. ult. D. de Juriſd. Gilken ad l. 1. Cod. Summ. Trinit. n. 60.*

4. Si tamen quiſpiam, ut evitaret ſolemnitatem loci ſui domicilii, in fraudem talis ſtatuti extra territorium ſe conferat, ejus teſtamentum non valere, exiſtumarem. *Aretin. Bald. & alii apud Gabriel. Commun. Opin. libr. 6. de Statut. concluſ. 8. n. 21 22.*

5. Verum ad pacta & contractus memet conferam, Ubi principio inquirendum, de pacto ſeu contractu nuptiali, an ſi forenſis matrimonium ineat cum virgine non ſuæ civitatis, contrahere cenſeatur, ſecundum ſuæ patriæ ſtatuta, an domicilii virginis?

Reſpondeo, quia mulier quæ in matrimonii leges conſenſit, judicatur reſpicere domicilium mariti, in quod deducenda; & non ſimpliciter dicitur quis eſſe in loco, in quo corporaliter conſiſtit, ſed in quẽ fertur animi deſtinatione, quomodo & domicilium mutari dicitur. Potius ſecundum illius domicilii leges cenſebitur contraxiſſe, quam ſecundum leges loci ubi ipſa viro jungitur & domicilium habet. Niſi tamen maritus in domicilio uxoris contrahat animo ibidẽ commorandi, quo caſu forte pro naturali cive cenſendus. Vel niſi expreſſe pactis antenuptialibus aliter fuerit conventum. *l. nihil.* 2. *D. Captiv. l.* 65. *D. de judic. ubi Coſtal. Argum. l.* 35. §. 3. *D. hæred. inſtit. l.* 32. *in fin. D. de Pignor. & Hypoth. l.* 1. §. 32. *D. depoſ. DD. varii apud Lambert. Goris Adverſ. juris part.* 1. *c.* 6. *n.* 3. *& ſeq. Barboſ. ad l.* 19. §. *proinde. in artic. de foro Origin. D. judic. n.* 9. 10. 11. *&* §. *fin. d. l.* 19. *n.* 70. *& ſeqq. & ad l.* 65. *D. judic. ubi variæ limitationes.*

6. Quid ſi contentio de lucro dotis incidat, an ſpectandum erit ſtatutum loci contracti matrimonii, ſi quidem ibidẽ pacta nuptialia concepta, an domicilii mariti? Reſpondeo, & ſi forte primâ fronte videretur dicendum inſpici oportere locum contractus, quod ei ſeſe videantur ſubjeciſſe contrahentes: quia tamen in caſu propoſito, non tam agitur de ipſo contractu, quam contractus executione, ſeu

ſeu de loco, ad quem reſpexere contrahentes, is autem ſit locus domicilii mariti, cui ſeſe mulier ſubjecit; etiam ſtatutum domicilii mariti reſpici debebit.

Idem quod dicendum, ſi marito, vel uxore prædefunctâ, inter ſuperſtitem & hæredes defuncti, bonorum diviſio ſit inſtituenda. *l.* 65. *D. judic. l. contraxiſſe. D. Oblig: Action. ibidemque Gloſſ. fin. l. ult. Cod. de incol. l.* 1. *Cod. de Mulier. & in quo loc. Alexand. vol.* 1. *libr.* 3. *conſ.* 100. *n.* 8. *Covarr. de Matrim. p.* 2. *c.* 7. *in princ. n.* 5. *& ſeq. Campeg. de dote. p.* 5. *q.* 20. *n.* 3. *ibique alii. Mynſ.* 4. *obſ.* 82. *Surd. deciſ.* 226. *Vivius in tom. comm. opinion. libr.* 17. *verb. Statutum. p.* 341. *Everhard. conſil.* 78. *Gomeſ. ad l. Tauri.* 50. *n.* 75. *ubi habet aliquot limitat. Garſ. de acquæſt. Conjug. n.* 140. *& ſeqq. vid. & Argentr. ad Brittann. artic.* 218. *gloſſ.* 6. *n.* 33. *& ſeqq. & potiſſimum n.* 45. *ibique DD. Zoeſ. D. de Pact. Dotalibus. n.* 14. *Perez. Cod. Rei Uxor. Actione. n* 16. *Barboſ. ad l.* 65. *D. judic. Ut tamen Jaſon. in l.* 1. *Cod. de Summ. Trinit. n.* 24. illam communem opinionem in ſeptem caſubus limitet. *Bartol. Purpurat. Gilken. prolixe in d. l.* 1. *Cod. init. & n.* 27. *& ſeqq. ex prof. Roland. à Valle de lucro dot. vid. Andr. ab Exea. in c. agnoſcentes. de Conſtit. tom.* 2. *p.* 254. *n.* 45. *& Vincent. Caroc. in c. cum quid. de Reg. jur. in* 6. *p.* 2. *limit.* 6. *Tom.* 5. *p.* 980. *& q.* 1. *n.* 10. *p.* 962. *in Reperti jur. canon.*

Digitized by Google

7. Quid ſi maritus alio domicilium poſtmodum transtulerit, eritne conveniendus, ſecundum loci ſtatutum, in quem poſtremum ſeſe recepit? Non equidem. Quia non eo ipſo, quod domicilium transferat, cenſetur voluntatem circa pacta nuptialia mutaſſe. *Argum. D. l. 22. D. Prob.* Niſi eadem ſolemnitas in actu contrario interceſſerit. *Arg. l. 35. D. Reg. jur. Gilken. ad init. tit. Cod. Sum. Trinit. n. 32. & ſeqq.* Accedit, quod illa pacta ſolus mutare nequeat maritus: id quod tamen poſſet, ſi per emigrationē in alium locum, ea mutarentur. Eſt quippe in ejus ſolius poteſtate, invitâ uxore, alio ſeſe conferre. *l. 4. §. Proficiſci. D. Off. Proconſ. l. 22. § ſi maritus. D. Solut. Matrim.* Ne dicam, ſpectari non debere in pactis antenuptialibus, incertum migrationis eventum; adeoque nec ab eventu incerto ipſa dependere, de quo per contrahentes ne quidem fuit cogitatum. *l. 9. §. fin. D. Tranſ.*

8. Quid ſi ſtatutum loquatur de hypothecâ in mariti bonis uxori competenti; ſpectabiturne locus domicilii mariti, an contracti matrimonii, an rei ſitæ? Reſpondeo, quia Bona mobilia ſequuntur domicilium debitoris, quod ibidem eſſe intelligantur, quoad illa ſpectabitur, locus habitationis mariti. Quia vero immobilia reguntur locorum ſtatutis, ubi ſita; etiam quoad ea, ſi de æſtimandâ hypothecâ, aut de privilegiis

inter

inter hypothecarios agatur, non inſpiciendus erit locus domicilii, vel debitoris, vel creditoris, verum locus ſtatuti, ubi jacent *per l. ult. D. juriſd. Burgund. ad Conſuet. Flandr. tract.* 1. *n*. 6. 7. *Campeg. de dote. Septim. vol. Tract. Argentr. ad Brittan. artic.* 218. *n*. 45. *Sanden de feud. Gelr. tract.* 1. *tit.* 3. *c.* 2. *n.* 4. *Anton. Matth. de Auction. libr.* 1. *c.* 21. *n.* 35. *& ſeq. & num.* 41. *Rodenb. de jure conjug. tit.* 2. *c.* 5. *n.* 16. *Deſſel. in not. ad Zoeſ. inſtit. de Teſtam. ordin. n.* 16.

9. Quid ſi de contractubus proprie dictis, & quidem eorum ſolemnibus contentio; quis locus ſpectabitur; an domicilii contrahentis, an loci, ubi quis contrahit? Reſp. Aff. Poſterius. Quia cenſetur quis ſemet contrahendo, legibus iſtius loci, ubi contrahit, etiam ratione ſolemnium ſubjicere voluiſſe. Ut quemadmodum loci conſuetudo ſubintrat contractum, ejuſque eſt declarativa, ita etiam loci ſtatutum. *l.* 31. §. 20. *D. Ædil. Edict. l.* 1. *Cod. Emancip. liber. l.* 32. *D. de leg. l. ſemper* 34. *D. Reg. jur. l.* 818. *D. locat. Bartol. ad l.* 1. *Cod. ſumm. Trinit. n.* 13. *Bald. n.* 93. *Salicet. Cod. eod. n.* 8. *in fin. Alexand. vol.* 3. *conſil.* 100. *n.* 15. *Cravett. conſil.* 271. *Chaſſan. ad conſuet. Burgund. Rubric.* 4. §. 2. *verb. ſecundum generalem conſuet. n.* 1. *& ſeq. Barboſ. ad l. hæres abſens.* §. *proinde. D. judic. n.* 74. *& ad l.* 65.

O 6 *eod.*

eod. n. 104. *Anton. Matth. de Auction. libr.* 1. *c.* 21. *n.* 37.

Excipe 1. Si Princeps alibi contrahat, ut qui juris ſolemnibus eſt ſolutus. §. *fin. in fin. inſtit. injuſt. Rupt. irrit. teſtam. l.* 31. *D. de leg. Poſt Roman. conſil.* 444. *n.* 10. *Menoch.* 3. *Præſ.* 44. *n.* 19. *Roel. à Valle de lucro dot. q.* 84. *n.* 7. *Maſcard. de interpret. ſtatut. concl.* 7. *n.* 49.

Neque enim Princeps ſtatuto à ſe approbato ligatur. *Bartol. in l. Lucius Titius.* §. 2. *D. fideic. libert. ego in cap. de Effect. ſtatutor.* Niſi tamen ſponte ſemet loci ſolemnibus ſubjicere voluerit. *Arg.* §. *fin. & l.* 4. *Cod. de leg. Menoch.* 2. *Præſ.* 5. *n.* 2.

Excipe. 2. Si contractus coram Principe fuerit celebratus, aut forte in gratiam Principis. Ratio prioris eſt, quia ſuâ præſentiâ ſupplet omnes juris ſolemnitates. *l.* 19. *inivit. Cod. de Teſtam.* Ratio poſterioris eſt, favor & Privilegium Principis. Sic enim Principi donatio facta non eget inſinuatione licet quingentos aureos excesſerit. *Nov.* 52. *c.* 2.

Excipe 3. Niſi quis, quo in loco domicilii evitaret moleſtam aliquam vel ſumptuoſam ſolemnitatem, adeoque in fraudem ſui ſtatuti nullâ neceſſitate cogente alio proficiſcatur, & mox ad locum domicilii, geſto alibi negotio, revertatur. *Maſcard. d. tract. concl.* 6. *n.* 134. *poſt Aretin. conſ.* 54.

Excipe

Excipe 4. Niſi etiam extra locum domicilii velit uti ſtatuto ſuæ patriæ favorabili, quoad ſolemnia; tū forte contractus alibi ita geſtus, ubi alia ſolemnia erant adhibenda, ex æquo & bono in patria, ſuſtineretur. *Bartol. in l. imperatores §. iidem reſcripſerunt. D. Ad Munic. Maſc d. tract. concl.* 6 *n.* 114. Atque hæc eadem, quæ de contractibus dicta, etiam teſtamentorum ſolemnibus applicari poterunt: excepto reſponſo ſecundo exceptionis *ſecundæ. per §. fin. Inſtit. de injuſt. Rupt. irrito. vid. Jaſon. vol.* 1. *conſ.* 48. *Matth. Gribald. in tom. comm. opin. libr.* 17. *verb. ſtatutum. p.* 332. *Gilken. ad init. Cod. ſumm. Trinit. n.* 15. 16. *Gail.* 2. *obſ.* 123. *Mynſ.* 4. *obſ.* 82.

10. Quod ſi de ipſo contractu quæratur, ſeu de naturâ ipſius contractus, ſeu iis quę ex natura contractus veniunt, puta fidejuſſione &c. etiam ſpectandum eſt loci ſtatutum, ubi contractus celebratur, per ll. anteriores: quod ei contrahentes ſemet accommodare præſumantur. *adde l.* 6. *D. de Evict. Bartol. loc. cit. n.* 16. *Alexand. vol.* 2. *conſ.* 37. *col.* 2. *& column.* 4. *ad fin. Surd. deciſ.* 13. *n.* 6. *Chaſſan. ad Burg. rubr.* 4. *§.* 2. *verb. cit. Merul. Prax. civil. libr.* 4. *diſt.* 4. *ſect.* 3. *tit.* 4. *c.* 3. *n.* 17. *Mevium ad Lubecenſ. quæſt. Prel.* 4. *n.* 10.

Niſi tamen cum aliquo contrahens, ſciat eum ſtatim receſſurum eſſe, quo caſu talem conve-

conveniri in loco contractus non oportet, niſi pro his quæ ſtatim quis tradere tenetur. Aut niſi expreſſe promiſit ſe ibi ſoluturum. Poſt *Alex. conſ.* 89. *n.* 1. *libr.* 7. *Barboſ. ad l.* 19. §. *proinde. D. judic. n.* 94. *ibique plures,* & *n.* 114. *n.* 134. 135. Aut niſi etiam quis reipublicæ cauſa tranſit per locum contractus, ut ſi ſit legatus; quo caſu nec in loco contractus convenietur. *d. loc. n.* 136.

Id quod etiam referri poterit ad onera contractuum, puta gabellas, & ſimilia ſolvenda in loco, ubi geſtum eſt negotium, licet res vendita alibi ſita. *Bald. l.* 1. *n.* 3. *Cod. Contr. Empt.* & *alii multi apud Barboſ. ad l.* 19. §. *proinde D. de Judic. n.* 77. & *ſeqq.*

Niſi expreſſo ſtatuto cautum ſit ut gabellæ in loco traditionis vel conſummationis contractus ſint ſolvendæ. *Barboſ. d. l. n.* 84. & *ſeqq.*

Vel niſi diſtincta ſint territoria, quæ uni Principi non parent.

11. Ne tamen hic oriatur confuſio, locum contractus duplicem facio, alium, ubi fit, de quo jam dictum, alium in quem deſtinata ſolutio. Illum locum verum, hunc fictum appellat *Salicet. in l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 4. Uterque tamen recte locus dicitur contractus, etiam ſecundum leges civiles, licet poſtremus aliquid fictionis contineat. *Barboſ. ad l.* 19. §. *fin. n.* 6. 16. *D. judic.*

12. Hinc ratione effectus, & complementi ipſius

ti ipſius contractus, ſpectatur ille locus, in quem deſtinata eſt ſolutio; id quod ad modum, menſuram, uſuras, &c. negligentiam & moram poſt contractum initum accedentem, referendum eſt. *l.* 21. *D. oblig. Action. ibique Gothefr. l.* 1. *in Princ. D. de Uſur. ibique Gloſſ. l.* 1. 2. 3. *D. Rebus auct. judic. poſſ. l.* 8. 18. 19. *Cod. locat. l.* 22. *D. de Rebus credit. l. Semper in ſtipulat. D Reg. jur. l. in hac. D. Tritic. action. l.* 65. *D. de judic.* In quâ lege, meo judicio, nihil ſpeciale. *Bartol. Purpur. Salic. in l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. Gilken. ibidem, n.* 22. 28. 29. *Maſcard. tract. all. concl.* 7. *n.* 75. *vid. Barboſ. prolixe in l. hæres abſens.* 19. §. *proinde. D. judic. n.* 57. *& ſeqq. & n.* 63. *& ſeqq. &* §. *fin. ibid. n.* 9. 10. 11. 12 *& ſeqq. & ad l.* 65. *eod. n.* 105.

13. Quid ſi alternative in plura loca deſtinata ſit ſolutio, ſic ut electio ſit actoris? Spectabitur ſtatutum loci ubi quid petitur, ſi modo vel ibi reperiatur debitor, vel habeat ibidem domicilium. *l.* 4. *D. Condict. Tritic. l.* 2. §. 3. *D quod certo loco. l.* 22. *D. Rebus credit. c. fin. de hæret. Bartol. loc. alleg. n.* 18. *Salicet. ad l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 5.

14. Quid ſi de litteris cambii incidat quæſtio, quis locus erit ſpectandus? Is ſpectandus eſt locus, ad quem ſunt deſtinatæ, & ibidem acceptatæ. *Argum. l. qui autem. in fin. D. Conſtit. Pecun. gloſſ. in l.* 1. *verb. & per litteras.*

litteras, D. Contrah. Empt. Maſc. tract. all. concluſ. 7. n. 72.

15. Quid ſi in ſpecie, de nummorum aut redituum ſolutione difficultas incidat, ſi forte valor ſit immutatus, an ſpectabitur loci valor, ubi contractus erat celebratus, an loci, in quem deſtinata erat ſolutio? Reſpondeo, ex generali regulâ, ſpectandum eſſe loci ſtatutũ, in quem deſtinata erat ſolutio. *per d. l. 22. in fin. D. Rebus credit. l. 3. in fin. D. Rebus auct. jud. Poſſ. l. fin. D. Tritic. Action. l. 3. §. 3. D. Action. Empt. Bald. Angel. in l. ſi fundus. D. Evict. & Bald. in l. quæro. D. Solut. & in Auth. quas actiones Cod. Sacroſ. Eccleſ. Nicol. Everhard. conſil. 78. poſt Cyn. Albericum. de Roſat. Alex. immol. Jaſon. n. 9. 10.*

16. Quid ſi credita ſint decem dolia vini Aurelianenſis, alibi puta Amſterodami reddenda; inque diverſis locis, diverſæ ſint menſuræ; an doliorum magnitudinem ad normam Aurelianenſium an Amſterodamenſium exigemus? Id eſt, an reſpiciemus ſtatutum loci contractus, an deſtinatæ menſurationis? Reſp. affirmando p[redacted]rius. [redacted] *l. contraxiſſe. D. oblig. & action. l. 100. D. ſolut. l. ſemper in ſtipulat. D. Reg. juris. ibi Decius & Cagnol. Roeland. à Valle Conſil. 100. n. 7. lib. 3. Maſc. libr all. Concluſ. 7. n. 26. Alex. conſil. 160. n. 15. vol. 3. Everhard. d. conſil. 78. p. 240. n. 10. & ſeqq. Burgund. tract. 4. ad conſ. Flandr. n. 28. Anton Matth. diſp.*

de

de mutuo. n. 15. & in ſimili. tract. de Auction; libr. 2. c. 4. n. 33. & ſeqq. Wiſſenb. diſp. Pand. 24. part. 1. vid. Solutas objectiones apud Everh. d conſil. n. 30. 40. Gilken. ad l. 1. Cod. Summ. Trinit. n. 23. 24. 25: Vid. & prolixe per omues caſus hanc circa contractus materiam deducentem. Gabriel. Comm. opinion. lib. 6. tit. de Conſuet. concluſ. 1. & 2. ibique ll. & DD.

17. Verum à contractibus proprie ſic dictis, me conferam ad quaſi contractus, & quidem tutelæ, vel curatelæ. Ubi ſequentia examinanda. Quid ſi pupillo dandus ſit tutor, illene dabit, ubi pupillus domicilium habet, an ubi bona pupilli immobilia ſita ſunt? Reſpondeo, Quamvis regulariter ab illo Magiſtratu detur tutor, ubi pupillus domicilium habet, ubi parentes habitarunt; etiam qui dat tutorem, eum primario perſonæ, non rei dediſſe, cenſeatur; adeòque is qui ſimpliciter datus eſt, ad res omnes etiam in diverſis Provinciis ſitas, datus intelligatur; Id quod plerumque jure Romano obtinebat, quo diverſarum Provinciarum Magiſtratus, uni ſuberant Imperatori. Ne tamen videatur Judex domicilii quid extra territorium feciſſe, non præjudicabit Judici loci, ubi nonnulla pupillaria bona ſita, quin & tutorem pupillo ratione illorum bonorum, ſcil. immobilium, ibidem recte dederit. Unde etiam ſi de prædiis minorum alienandis contentio; ſi quidem

dem in aliâ ſita ſint Provinciâ, tútius egerit tutor qui datus eſt in loco domicilii, ſi decretum ab utroque Judice curet interponi, & domicilii pupilli, & rei ſitæ. §. 4. *Inſtit. qui teſtam. tutor. l. 12. l. 13. l. 14. Gothefr. ad fin. d. l. 12. D. Teſtam. Tutel. -- l 27. in init. D. Tutor. & Curat. dat. l. 10. §. 4. D. de Excuſ. Tutor. l. 21. § 2. D. eod. l. 30. §. 1. D. eod. Gothefr. in d. l 30. l. unic. Cod. Ubi tutor. petat. -- l. 5. §. 12. D. de Rebus eorum qui ſub Tutel. Gothefred in lit. c. ibidem. l. 16. Cod de Præd. Minor. Alexand. vol. 1. conſil. 128. n. 3. 4. Guietir. de Tutel. p. 1. c. 16. n. 19. Gratian. diſcept. Forenſ. tom. 3. c. 555. allegati apud Perez. Cod. Ubi pet. tutor. n. fin. & Cod. de Præd. Minor. n. 6. Vid. Gothefr. in not. ad l. ult. D. Juriſd. Gail. 2. obſ. 123. Burgund. ad Conſ. Flandr. tract. 2. n. 18. 20. Montan. de Tutel. cap. 20. n. 8. & cap. 4. n. 20. & ſeqq. Anton. Matth. de Auction. libr. 1. c. 7. n. 19. Vid. & Carpzov. part. 3. conſtit. 12. def. 13. Mornac. ad l. unic. Cod. Ubi de hæred. Zutphen Practijck. tit. Arreſt. n. 7.*

18. Quid ſi Curator bonis dandus ſit, Debitore forte bonis cedente, vel latitante, vel ſine hærede decedente; an conveniendus Judex domicilii debitoris, an bonorum? Reſpondeo, & ſi non negavero, uti poſt dicetur, Judicem domicilii à creditoribus conveniendum eſſe; ſi tamen agatur de curatore bonis dando, exiſtumarem eundem quidem

dem dari poſſe bonis immobilibus, ibidem ſitis, non tamen alibi, invito Judice loci. Juſſus enim vel præceptum Judicis, ſe non extendit ultra limites ejuſdem juriſdictionis, *Arg. ll. alleg. & l. ult. D. Juriſd. l. unic. Cod. Ubi de Poſſeſſ. l. cum unus. 12. §. is qui poſſidere. D. de Rebus auctor. Judic. Poſſid. Gail. 2. obſ. 130. n. 13. Mevius ad Lubecenſ. libr. 3. tit. 1. §. 10. n. 51. Anton. Matth. tractat. de Auction. libr. 1. cap. 7. num. 10. in init. & c. 11. num. 80. in fin.*

19. Quid ſi rationes vel à tutore, vel à curatore ſint reddendæ, ſcilicet ſi alibi rationes detulerit, ubi forte domicilium habet, alibi administraverit; an conveniendus ubi domicilium fovet, an ubi adminiſtravit? Reſp. Affirmatur poſterius ſi modo ibidem reperiatur. Quod ex quaſi contractu conveniatur, ad exemplum contractus; per textus expreſſos in *l. 6. in init. l. 4. in fin. D. de Edend. l. 19. §. 1. D. de judic. l. 45. D. eod. l. 1. Cod. Ubi de Ratiocin. Argum. l. 2. Cod. eod. l. cum proponas. Cod. de bon. Auth. judic. Nov. 151. c. 1. in fin. Merul. Prax. civil. libr. 4. diſt. 4. ſect. 3. tit. 4. c. 3. n. 18. 19. Barboſ. ad l. 19. § apud Labeon. D. judic. n. 6.*

Et licet *Groeneweg. ad d. l. Cod. Ubi de Ratiocin.* noſtris & Gallorum moribus poſt Mornac. Chriſt. Zypæum. ſtatuat tutorem rationes reddere teneri coram eo judice, qui eum nominavit, quamvis alio loco tutela geſta ſit.

id

id tamen de moribus noſtris verum non videtur, per *Merul. loc. cit.* Negandum tamen non eſt, quin in loco domicilii, per actorem poſſit conſtringi, ut ibidem rationes reddat, modo ſuis ſumptibus actor curet, ut eo rationes, & inſtrumenta deferantur. *d. l.* 4. *&* 6. *Covarr. Practic. quæſt.* 10. *n.* 4. *Vid. Montan. de Tutel. cap.* 39. *p.* 218.

Cæterum ſi de ratiociniis publicis agatur, ad utilitatem publicam ſpectantibus principaliter; curator vel adminiſtrator conveniri poterit in loco ubi adminiſtravit, ſive ibidem reperiatur, ſive non. Quod in tantum procedit, ut remittendus ſit ad locum adminiſtrationis. *l.* 2. *Cod. ubi Ratiocin. l. fin. Cod. Ubi de Curiali. Barboſ. ad l.* 19. §. 1. *D. de Judic. n.* 66. *& ſeqq.*

20. Quia vero & pupilli & minores quandoque reſtituuntur, hoc in loco occaſionem captabo diſſerendi de Reſtitutionibus, caſu quo ſtatuta variant.

In Integrum itaque reſtitutione petitâ, cujus loci ſpectandum ſit ſtatutum anxie quæritur? Quod ut clarum fiat, declarandum erit ubi petenda ſit reſtitutio; tumque facile colligi poterit, cujus loci ſtatutum veniat conſiderandum.

Vel itaque in perſonam agitur, occaſione reſtitutionis, atque adeundus erit judex domicilii ejus, qui convenitur. *l.* 2. *Cod. ubi & apud quem. Barboſ. in Collect. ad Cod. eod. tit. ad d. l.* 2. *per varios ibidem.* Id

Id quod tum procedit, ſi contractus, cujus ratione in perſonam agitur, ſit perfectus. Ratio in promptu eſt: contractu quippe perfecto, ſublata eſt actio, quæ ex contractu oritur; ut cum ex aliquâ qualitate reſcindi quid petitur, nova actio ſit intentanda. Quæ tamen cum perſonalis ſit, in foro ejus, qui convenitur inſtituetur; quod actor ſequatur ordinarie forum rei. *d. l. 2.* Niſi in loco contractus reum reperiat actor, ubi & illum convenire poterit. vid *Gabriel. Comm. opin. concl. 2. n. 7. tit. de Conſuet.*

Id quod etiam obtinere cenſent DD. ſi reſciſſio petatur implorato judicis officio nobili, uti loquuntur, quod actionis vicem ſuſtinet. *c. fin. de offic. judic.* Idem etiam obtinere ſtatuunt, ſi ad ipſum diſtractum agatur. Quod actione ex contractu perfecto, nequeat agi ad diſtractum. Ne in unum finem introducta, & inventa, operarentur ejus contrarium. *DD. ad l. 1. D. Comm. Divid. Zoeſ. D. Pro ſocio. num. fin. vid Oddum de Reſtit. part. 1. quæſt. 32. artic. 13. poſt Bartol. Bald. Caſtrenſ. in l. 2. Cod. Ubi & apud quem.*

Excipe de jure Romano nonnullos caſus, qui in foro, ſeu conſiſtorio Principis ſunt ventilandi. Ut ſi petenda reſtitutio contra libertatem, contra ſententiam procuratoris Cæſaris, Vicarii, aut Præfecti urbi, Judicis à Principe dati, contra duplicem ſententiam in minorem latam. *l. 9. §. ult. junct. l. 10. l. 18.*

l. 18. §. 1. 2. 4. *D. Minor. l.* 1. *Cod. Ubi & apud quem. l.* 3. *Cod. Si adverſ. Rem. judic. Nov.* 113. *cap.* 1. *Azo in ſumm. Cod. Si ſæpius in integr. reſtit. Poſtul. Cujac. Parat. Cod. Ubi & Apud quem.*

Quod ſi contractus ſit imperfectus, aget in loco contractus, qui reſtitui vult, quia etiamnum durat forum contractus. *l. in contractibus.* §. *in omni. Cod. Non. Numer. Pecun.*

Qua etiam ratione, de nullitate contractus in loco contractus agendum eſſe cenſent, quod contractum non rite initum fuiſſe prætendatur. per *l.* 2. *Cod. verb. perfecta. Ubi & apud quem. Bald. in l. præſcriptione. num.* 15. *Cod. Si contra jus. Teſſaur. Deciſ. Pedem.* 14. *Barboſ. ad l. heres abſens.* §. *proinde. D. de judic. num.* 21. 22. 23. *& ſeqq.*

Quam etiam deciſionem extendere ſolent ad caſum, quo agitur ad obſervantiam ipſius contractus, qui nondum eſt conſummatus. Arg. §. 2. *inſtit. de Donat. l.* 11. §. 1. 2. *D. Action. Empt. Bald. Caſtrenſ. in l.* 2. *Cod. Ubi & apud quem.*

Vel denique agitur in rem actione, idque ad rei reſtitutionem, tumque petenda reſtitutio, in loco domicilii ejus, qui convenitur, vel rei ſitæ. *l.* 13. §. *fin. D. Minor. l. ult. Cod. Ubi in rem actio. Duaren. hoc tit. cap.* 3. *in fin. & tit. Cod. Ubi & apud quem.* Id quod moribus Franciæ obtinere, poſt *Rebuff. in tit. de Reſtit. in integr. num.* 19. *&* 20. *&*

art.

Digitized by Google

art. 1. gloſſ. 1. num. 40. tenet. Oddus de Reſtit. quæſt. 32. part. 1. artic. 13. n. 116. De noſtris moribus idem affirmat. *Sanden libr. 1. tit. 15. def. 1. vid. & Mejerum colleg. Argentor. tit. de in integrum Reſtit. num.* 20.

Quid ſi reſtitutio petatur adverſus ſententiam, vel rem judicatam, an petetur à Judice à quo, an potius à Judice ad quem? Reſp. prior amplectenda ſententia, ſi aliquid in primo judicio actitatum, contra quod quis velit reſtitui. Poſterior tenenda, ſi aliquid acciderit in ſecundo judicio, adverſus quod reſtitui velit actor. Ut tamen ſecundum DD. coram judice ſuperiori reſtitutio utroque in caſu poſſit peti. vid. *D. Bartol. Bald. in l. praſes. Cod. de Appellat. Capell. Tholoſ. deciſ. 393. Alioſque multos apud Oddum de Reſtitut. part. 1. quæſt. 32. artic. 16. per totum.*

Aſſignavi locum judicii, qui ſpectandus, aſſignandum ſtatutum, quod reſpicere judicem oportet in judicando. Vel itaq; agitur in ipſa reſtitutione de iis negotiis, quæ contractus ſpectant ſolemnia, vel quæ cauſæ momentum, id eſt, ipſum contractum. Si prius, ſic ut quis reſtitui velit propter ſolemnia in contractu non ſervata, unde grande damnum pateretur, reſtituetur ex generali clauſulâ ex formâ ſtatuti, ubi contractus erat celebratus. *Arg. l. 1. in fin. D. ex quibus cauſ. Major. l. 6. D. Eviction. Alexand. 2. conſil. 37. n. 3.*

Quid ſi reſtitui velit, propter damnum ex ipſo

ipſo contractu proveniens, tunc erit reſtituendus, non ſecundum ſtatutum loci, in quem deſtinata eſt ſolutio, ſed loci celebrati contractus, ſi modo ibidem cauſa ſit data diſtractus, ſeu reſtitutionis. *Bartol. in l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 20. 28. *Maſcard. concluſ.* 7. *n.* 36. *de Statutor. interpret.*

Quod ſi quis ex poſt facto reſtitui velit, qui læſus eſt, vel per moram, vel negligentiam; ſervabitur loci ſtatutum, ubi illa mora vel negligentia eſt contracta vel commiſſa. Modo ibidem reperiatur reus, vel de moribus ſiſtatur. *Bartol. ad l.* 1. *Cod. ſumm. Trinit. n.* 20. *Bald. ibid. n.* 94. *DD. in l.* 2. *D. de eo quod certo loco dari oport. & in c. licet de foro competent. Maſcard. d. tract. concluſ.* 7. *n.* 55.

Ut hic ſtatutum loci, coincidat cum ſtatuto loci ubi judicium acceptum, ſecundum quod facienda reſtitutio. *l.* 22. *in fin. D. Rebus Credit. Mynſing.* 4. *obſ.* 82. *Gilken. ad tit. Cod. Summ. Trinit. n.* 55. *Gothefred. ad l.* 2. *Cod. Ubi & apud quos.*

Quod ſi agatur de reſtitutione in rem, quæ immobilis, idem dicendum; ſcilicet, ſtatutum judicii cöincidere, cum ſtatuto rei ſitæ. Adeoque in cauſæ deciſione, rei ſitæ ſtatutum eſſe ſpectandum. Si de re mobili ſpectandum eſſe ſtatutum domicilii ejus, qui convenitur, quod mobilia perſonam comitentur, & ubi perſona domicilium fovet, eſſe

eſſe intelligantur. Ut tamen res mobiles, ſi ſit in bona fide reus, ſint deferendæ ad ejus domicilii locum, idque ſumptibus petitoris, qui extra cibaria in iter & navigationem ſunt faciendi. *l.* 10. *D. Rei vindic. Except. caſub. l.* 11. 12. *D. eod.* Quæ omnia ex ante dictis, & poſt dicendis, notiora ſunt, quam ut hic prolixiore egeant declaratione. *vid. Prolixe Barboſ. ad l.* 19. §. *proinde. D. judic. n.* 24. 25. 26. *& ſeqq. Covarr.* 1. *Reſol.* 4. *&* 2. *Reſol.* 12. *Fabrum in Cod. de legibus. defin.* 3. 4. *Treutler. diſput. de Reſtit. in integr. ibique Bachov. Berlichium.* 1. *deciſ.* 6. *Zoeſ. D. vulg. Subſt. n.* 29.

21. Quid ſi mulier reſtitui velit adverſus dotem marito datam, ſpectandum ne ſtatutum loci domicilii preſentis mariti, an domicilii mariti, quod erat tempore ſoluti matrimonii? Reſpondeo, ſpectandum ſtatutum mariti domicilii præſentis, maxime ſi ea intentione contractum matrimonium, ut ibi perpetuo habitarent.

Si tamen aliquo facto, aut culpâ mariti ſolutum matrimonium, etiam ſpectari poterit novum mariti domicilium, in quantum illud ſpectari, intereſt uxoris. *Arg. l.* 22. *in fin. D. Rebus. credit.*

Quemadmodum etiam novum ſpectatur domicilium, ſi uxor duxerit maritum ad ſuam domum; ſi domicilium ſine mariti culpa ſit mutatum; vel non fraudandi uxoris gra-

tiâ; vel immobilia in dotem data, alibi ſita. Regulæ propoſitæ ratio eſt, quod ubi de reſtitutione dotis intentanda actio, ibi etiam videatur adverſus dotem mulier eſſe reſtituenda. *Argum. l. hæres abſens. § fin. D. de Re judic. l. 65. D. de judic. ubi DD. l. unic. Cod. Si adverſ. dotem. Roeland. à Valle de lucro dot. q 13. 20. Bald. in l. voluntas. in Princ. Cod. fideicomm. & Conſil. 208. vol. 3. aliique qui diß. apud Maſcard. de ſtatut. interpret. concluſ. 7. n. 57. 58. 59. & ſeqq. uſque ad n. 72.* qui quia ſatis accuratus, malui lectorem eo remittere, quam ut ipſius probe dicta, mea faciam, aut rapſodum agam.

SECTIO DECIMA.

Caput Unicum.

1. *Si ſtatuta varient circa actionum terminos, quæ ſpectanda?*
2. *Si intentandæ actiones perſonales, quale ſtatutum ſpectandum?*
3. *Si debitor a pluribus creditoribus conveniendus, ubi concurſus judicium ſit formandus, ſi particulare.*
4. *Quid ſi judicium ſit univerſale, puta in ceſſione bonorum, beneficio intentarii &c.?*

5. *Quid*

5. *Quid ſi creditorum unus per hypothecam ſibi proſpexerit abunde?*
6. *Cujus loci ſervanda ſolemnia circa procedendi modum?*
7. *Circa ferias variantes?*
8. *Circa cautiones?*
9. *Circa probationes?*
10. *Circa editionem inſtrumentorum?*
11. *Utrum inſtrumentum per notarium in uno loco factum, alibi vires exſerat?*
12. *Si ſententia proferenda, quæ ſolemnia ſervanda?*
13. *Si cauſæ merita examinanda, quodnam ſpectandum ſtatutum?*
14. *Circa executionem tum ratione cauſæ, tum ſolemnium, quæ ſpectanda ſtatuta?*
15. *Si circa appellationem contentio, an ſtatutum judicis à quo, an ad quem, ſpectandum erit?*
16. *Quis judex ſpectandus ratione citationis?*

1. VErum quia poſt reſtitutiones de jure civili ſequitur materia judiciaria, concurſum ſtatutorum circa eandem hic ex-

aminare decrevi. Ubi quoad actionis intentationem, occurrit illa difficultas, an ſi diverſa ſint ſtatuta circa actionis finitionem ſeu terminum, ſpectandus ſit terminus ſtatuti debitoris, an creditoris? Reſpondeo, quia actor ſequitur forum rei, ideo extraneus petens à reo, quod ſibi debetur, ſequetur terminum ſtatuti præſcriptum actioni in foro rei. Et quia hoc ſtatutum non exſerit vires extra territorium ſtatuentis, ideo, etiam reo alibi convento, tale ſtatutum objicere non poterit. per all. ſuper. *vid. Gabriel. commun. concluſ. libr. 6. concluſ.* 11.

2. Quid ſi actiones ſint intentandæ & quidem perſonales, an ſequemur, ſtatutum domicilii debitoris, an ſtatutum loci, ubi exigi vel intentari poterunt? Reſpondeo, etſi bene multi velint tales actiones certo loco non circumſcribi, inſpectâ tantum illâ corporali circumſcriptione, ut tamen eas velint cenſeri de loco ubi agi & exigi poſſunt, *Alexand. conſil.* 16. *in fin. vol.* 1. *Tiraquell. de Retract.* §. 36. *gloſſ* 3. *n.* 16. 17. *& de jure primogen. q.* 49. *n.* 6. *Teſſaur. quæſt. forenſ. libr.* 2. *q.* 5. *n.* 15. 16. *Cravett. conſil.* 934. *n.* 11.

Quia tamen mobilibus annumerantur, ſic ut loco non circumſcribantur. *l. quæſitum.* 12. §. *Papinianus D. de fund. inſtruct. l. uxorem.* 39. §. *legaverat. l. quæſitum.* 76. §. 1. *l. Si mihi Mævia.* 90. *D. legat.* 3. *l. Cajus Sejus.* 88. *D.*

D. leg. 2. Etiam domicilium & perſonam debitoris, adeoque ejuſdem loci ſtatutum reſpicient. Æs quippe alienum perſonale, univerſum debitoris patrimonium reſpicit. Non aliter atque diviſâ bonorum adminiſtratione, licet in diverſis provinciis, jus individuum permanet. *l.* 50. §. 1. *D. de judic. l. inter tutores D. Admin. Tutor. l.* 1. *Cod. de diviſ. Tutel. Bartol. in d. l.* 50. *Salicet. in l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. Peregrin. de Jure fiſc. libr.* 5. *tit.* 1. *n.* 144. *Montan. de Tutel. c.* 39. *n.* 109. *& c.* 32 *n.* 104. *Salgado de Somoſa labyrinth. concurſ. creditor. part.* 2. *c.* 12. *n.* 21. *& ſeqq. vid. & Choppin. de Moribus Pariſ. libr.* 2. *tit.* 5. *n.* 20. 21.

3. Occaſione præcedentis difficultatis, unam atque alteram ſubjungam, non prorſus ab hâc alienam materiâ. Quid ſi creditores in diverſis habitantes territoriis, debitorem in diverſis conveniant tribunalibus; an in uno concurrere debebunt, an potius ſinguli recte in ſuis tribunalibus convenient debitorem, idque vel ratione contractus, vel ratione mobilium ibidem repertorum? Reſpondeo. ſi unus creditorum aliquid petat à debitore, & judicio pendente, alii creditores coram eodem tribunali compareant, qui ſe jure potiori gaudere contendant, dubium nullum, quin omnes, coram illo judice, coram quo prior egit creditor, agere debeant. Quod ſemet volentes judici non ſuo ſubjecerint. *l.*

1. & 2. in init. D. de Judic. Nec tamen hoc judicium erit univerſale, ut alibi creditoribus exiſtentibus, qui ſeſe non oppoſuerunt, præjudicet. Quamobrem alibi debitorem convenire poterunt, idque vel ratione contractus, vel mobilium nomine; ſic ut priorem judicem, ab aliis jam aditum creditoribus, eligere non teneantur. Hinc quia nulla eſt connexio cauſæ, ſententia quæ à priori judice lata eſt, neque extra territorium alteri præjudicium adferre poterit. Prolixe poſt *Giurbam conſil. 46. & Parlador. 2. Rer. quot. 9. Salgad. de Somoſa labyrint. concurſ. creditor. p. 1. c. 4. §. 1.* ubi etiam accurate varios deſcribit modos, quibus cauſæ dicantur connexæ, aut continentes. *n. 43. & ſeqq.*

4. Quod ſi judicium concurſus creditorum ſit univerſale, quale erit judicium ceſſionis impetratæ, obtenti beneficii inventarii &c. & quidem debitor judicium concurſus formaverit coram ſuo judice, omnes creditores coram eodem judice concurrere tenebuntur. Etſi alio debitorem traxerint, exceptionem objiciet continentiæ cauſæ, & quidem ante litem conteſtatam. Ratio jam dicta eſt, ne continentia cauſæ dividatur; neve cauſæ diverſæ apud diverſos judices abſurdũ producant, & ſingulæ diverſas aut contrarias ſententias conſequantur. *l. 1. 2. D. de quibus rebus ad eundem judicem. l. nulli. Cod. judic. l. ſi idem. §. quid ſi. D. de juriſd. l. 1. Cod. Aſſ. tollend.*

tollend. Arg. l. 44. D. Religioſ. à ſimili. Socinus, Bartol. Bald. Alexand. Covarr. pract. q. 36. n. 1. 2. Tiraquell. in l. ſi unquam. Cod. Revoc. Donat. n. 192. Gail. 2. obſ. 130. & innumeri apud Salgado de Somoſa. labyrinth. concurſ. creditor. part. 1. c. 4. n. 15. 16. 17. 18. & ſeqq. & d. c. 4. §. 2. 3. Rodenb. de jure conjug. tit. 2. c. 5. n. 15. p. 92.

Si tamen judices alterius loci etiam de cauſâ cognoverint, nullo remedio cogentur, modo omnes æque ſupremi nec ſuperiorem recognoſcant. Niſi per litteras requiſitoriales, quas appellant litteras mutui compaſſus requiſiti, ex æquo & bono abſtineant, vel ſecundum morem atque ſtylum id obſervare ſoleant, vel quod comiter habeant vicinarum civitatum ſententias. Id quod noſtrarum Provinciarum moribus ſic obſervari notum eſt. *vid. Samoſa. d. tract. p. 1. c. 5.*

5. Finge tamen creditorem habere pignus aut hypothecam, quæ in loco domicilii creditoris ſita eſt, an in judicio concurſus creditorum, una cum ſuâ hypothecâ ſequi tenebitur cæteros creditores, an vero ratione ſuæ hypothecæ, in loco ſui domicilii, agere poterit, adeoque ſibi conſulere? Reſpondeo, ſi judicium inter creditores ſit univerſale, & hypothecarius creditor actionẽ intentet perſonalem, eam intentabit coram judice debitoris. Si judicium particulare, nec per eum concurſus ſit formatus, alibi per ante dicta, intentare

intentare poterit actionem. Quod ſi in rem actione hypothecam perſequatur, licet judicium ſit univerſale, exiſtumarem illum, coram judice ſui domicilii, ubi hypotheca, jacet, experiri poſſe. Cum juris ſit indubitati in rem actionem in loco rei ſitæ poſſe intentari. Accedit, quod nemo creditori hypothecario præjudicare valeat, cui in bonis immobilibus jus quæſitum, ſervatur illæſum; & onus rei impoſitum ſequatur locum rei ſitæ. Neque poſſit creditoris conditio eapropter reddi deterior, quod debitor factus ſit non ſolvendo. Ut æque ſecundum legem ſui territorii, hypothecam excutere valeat, coram judice ſuo, atque ſi debitor adhuc eſſet ſolvendo.

Non aliter atque legatarius actione perſonali agens, ibi intentat actionem, ubi judicium eſt univerſale, vel ubi hæres domicilium habet, vel ubi major pars eſt hæreditatis. Qui tamen ſi in rem actione velit experiri, id poterit eo loci ubi res legata ſita eſt. *l. quod legatur.* 38. *l. ſed etſi ſuſceperit. §. fin. D. judic. l.* 49. *D. leg.* 1. *l. ult. Cod. Ubi in rem actio. l. unic. Cod. Ubi de hæred. l. qui poteſt* 26. *l. non debet.* 74. *D. de Reg. jur. Arg. l. ſi fundus §. in vindicatione. D. Pignor. l. Si unus D. Pignor. Action. l. creditoris. D. Diſtract. Pignor. & qui textus eſt inſtar omnium. l.* 50. §. 1. *D. de judic. Gotefred. ibid. Salgado de Somoſa part.* 2. *c.* 12. *num.* 35. *vid. & eundem part.* 1. *c.* 12. *Barboſ. ad l.* 19. *n.* 44. 45. *& ſeqq.*

Digitized by Google

ſeqq. D. de judic. vid. Mev. ad Lubec. libr. 3. tit. 1. §. 10. n. 59. 60. Anton. Matth. de Auctionibus libr. 1. c. 11. n. 80. in fin. & diſput. de judic. 4 n. 13. 14. 15. & ſeq. Rodenb. p. mihi. 92.

Neque obſtat, quod propter cauſæ continentiam ad eundem judicem ſit eundum, quo multa evitentur incommoda. *Arg. l. 5. Cod. Arbitr. tutel. l. 2. D. de quibus rebus ad eund. judic. eat. l. 10. Cod. de judic.* Quia & fortior obſtat regula, quod alteri per alterum non inferatur iniqua conditio. Nec mutatio forte domicilii à debitore facta, præjudicium adferre debeat creditori ratione juris in rem quæſiti. Nec diſſentit *Mev. loc. alleg. n. 59. 60*, ut qui reſpicit bonorum maſſam in ordine ad creditores chirographarios, qui tantum in perſonam habent actiones.

6. Sed revertar unde fueram digreſſus, ad concurſum ſtatutorum variantium circa judicia. Ubi occurrunt nonnulla circa ſolemnia in judiciis ſervanda, circa tempora, cautiones, probationes, cauſarum deciſiones, executiones, & appellationes. Finge enim alia ſervari ſolemnia, in loco domicilii litigatoris, alia in loco contractus, alia in loco rei ſitæ, alia, in judicii loco; quænam ſpectanda ſolemnia? Reſp. ſpectanda ſunt ſolemnia, id eſt ſtylus judicis fori illius, ubi litigatur. Idque in genere verum eſt, ſive loquamur de civibus, ſive forenſibus: ſtatuta quippe cir-

ca ſolemnia meo ſenſu mixti erant generis; adeoque vires exſerunt tam intra quam extra territorium, tam in ordine ad incolas, quam ad exteros. *l. 3. in fin. D. Teſtibus. l. 25. in fin. Cod. Epiſc. & Cleric. l. fin. Cod de Injur. l. 1. in Princ. Cod. Cuſt. & exhib. reorum. l. 2. Cod. quemadmod. Teſtam. aper. Bartol. Bald. Caſtrenſ. Salic. ad l. 1. Cod Summ. Trinit. Gilken. Cod. eod. n. 115. in fin. Salicet. in l. 2. Cod. Quemadm. Teſtam. aper. Bertachin. de Epiſcop. libr. 4. p. 2. q. 18. n. 45. Guid Papa deciſ. 263. Gabriel Comm. opin. libr. 6. de Conſuet. concluſ. 1. n. 53. 54. & ſeqq. Peck. de jure ſiſtend. cap. 11. in fin. Gail. 2. obſ. 123. n. 2. & 130. n. 13. Barboſ. ad l. 25. n. 10. Cod. Epiſc. & Cleric. poſt Gomeſ. ad l. 64. Tauri. Treutl. vol. 2. diſp. 4. theſ. 9. Mev. ad jus Lubec. quæſt. Prælim. 1. n. 7. & 6. n. 35. & ſeq. & libr. 3. tit. 1. artic. 10. Chriſtin. in Prælud. ad Mechlin. n. 51. Treutl. vol. 1. diſp. 5 theſ. 9 litt. F. Anton. Matth tract. de judic. diſp. 5. n. 15. & diſput. 13. n. 12. & tract. de Crimin. libr. 48. D. tit. 20. cap. 4. n. 17. & ſeq. & tract. de Auction. libr. 1. c. 21. n. 35. Rodenb. de jure conjug. tit. 2. c. 5. n. 15. p. 91. 92.*

7. Et quidem ſi de feriis pro ſtatutorum diverſitate, variantibus, contentio, ſpectandus locus judicii. Ut ſi forte quis vocatus ſit è loco ubi ſtylus obtinet Julianus, adeoque dies feriatus eſt, ad locum ubi Gregorianus obti-

obtinet, adeoque dies forte non eſt feriatus, venire debeat. Præter allegatos, *Abbas in c. fin. col. fin. de feriis. Maſcard. de ſtat. interpret. concluſ. 7. n. 52. Duaren. tit. Cod. de Teſtibus. c. 2. Sand. 1. deciſ. def. 5. tit. 12.*

Cenſet nihilominus Beſoldus incivile eſſe, citare partem illo tempore, quo circa conſcientiæ negotia eſt occupata, ſic ut in contumaciam procedi non debeat, ſi emanſerit. *in delibat. jur. ad 2. libr. Pand. tit. 12. n 10. in fin.*

8. Si de cautionibus; tales exigendæ, & interponendæ, quales poſtulat, ſtylus curię, ubi litigatur § *pen. & ult. inſtit. de Satiſdat. DD. allegati.*

9. Si de probationibus, & quidem teſtibus; ſic eas adhibebit, ſic examinabit hoſce, prout exigit forum judicis, ubi producuntur. *l. 3. in fin. D. de Teſtibus.*

10. Si de inſtrumentis; ſic exhibenda, ſic edenda, ut fert loci ſtatutum, ubi exhibentur, vel eduntur. *l. 2. Cod. Teſtam. Quemad. Aperiant.*

11. Quid ſi tamen in uno loco factum ſit inſtrumentum coram notario, qui ibidem eſt habilis, an extendetur vis illius inſtrumenti, ad alium locum, ubi cenſetur inhabilis, ſic ut publicum ibidē nequeat facere inſtrumentū?

Sunt qui id adfirmant, *Ut Jaſon. in l. 1. Cod. ſumm. Trinit. n. 23. poſt Johann. Andr. in addit. Specul. tit. de inſtrum. edit. Bald. in l. ſi non ſpeciali. in 2. Col. Cod. de Teſtam.* Quaſi

 loci

loci conſuetudo, dans robur ſcripturæ, etiam obtineat extra territorium.

Sunt qui id ideo adfirmant, quod non tam de habilitate & inhabilitate notarii laboremus, quam de ſolemnibus. Quod ſi verum foret, res extra dubitationis aleam eſſet collocata. *l. 2. Cod. quemadm. Teſtam. Aperiunt. poſt. Bartol. Bald. Jaſonem. Gilken. ad tit. Cod. Summ. Trinit.* 90.

Verum ut quod res eſt dicam, exiſtumem hic agi, non tam de ſolemnibus, quam probandi efficaciâ; quæ licet in uno loco ſufficiens, non tamen ubique locorum; quod judex unius territorii nequeat vires tribuere inſtrumento, ut alibi quid operetur. *Arg. l. ult. D. juriſdict.* dixi ad *tit. de diviſ. Statutor.*

Hinc etiam mandatum ad lites, coram notario & teſtibus hic ſufficienter factum, non tamen erit validum in Gelriæ partibus, ubi notarii non admittuntur, ut coram lege loci, hic confectum eſſe oporteat, quo in Geldriâ ſortiatur effectum.

Quemadmodum enim perſonam non ſubditam, non poteſt quis alibi inhabilitare; ita nec perſonam ſubditam poteſt alibi facere habilem. *Bald. in l. 1. Cod Summ. Trinit. Johannes le Cerier. de Primogen. q.* 24. *n.* 5. *vol.* 8. *tractat.*

12. Si de ſententiæ pronunciatione; ſic itidem pronunciabit judex, prout exigit ſui territorii conſuetudo. Loquor de ordine, puta,

ta, an ſtans an ſedens, an aperto capite, an ipſe per ſe, an per alium recitet ſententiam: *Argum. dd. ll. & DD.*

13. Quod ſi de cauſæ meritis agatur, quæ ſpectant ipſam deciſionem negotii principalis, adhibendæ diſtinctiones antea propoſitæ. Ut ſi in rem agatur, ſpectetur loci conſuetudo, ubi res ſita. Si in perſonam ex contractu, locus contractus, vel ratione initii, vel implementi. Si de iis, quæ culpâ vel morâ rei accidunt, locus ſtatuti, ubi mora vel culpa contracta, &c. per *ll. & DD. allegatos. Johan. Bertachin. de Epiſcop. libr. 4. part. 2. q. 18. n. 45. Barboſ. ad l. 65. D. judic. n. 112. 113.*

14. Si de executione; ratione ſolemnium ſervandum ſtatutum loci judicii, in quo fit executio; ſi de cauſæ meritis jure Romano, id quod ſententiâ juri congruenter, & ſecundum ante datas diſtinctiones præſciptum, ſervandum eſt, licet, ubi fit executio, aliud quid ſervaretur. *l. 15. §. ſententiam. D. Re judic. l. argentarium. 45. in fin. D. judic. l. properandum. §. fin Cod. judic. vid. Bartol. in l. 1. Cod. Summ. Trinit. n. 30. Baldum in l. miſſi opinatores. Cod. de Exact. Tribut. libr. 10. Maſc d. tract. concl. 7. n. 78. 79. 80.* Ratio eſt, quia omnes judices de jure Romano uni ſuberant imperatori. Ut de moribus noſtris dicendum ſit ex humanitate per requiſitorialia judices alterius territorii ſententiam alibi

Digitized by Google

latam executioni mandare ſolere, ut tamen ad hoc non ſint obſtricti. Unde etiam Geldri per requiſitoria deſiderati ſententiam in noſtro territorio latam, exequi detrectabunt. vid. *Barboſ. ad l.* 19. §. 1. *D. judic. n.* 93. *& ſeqq. & ad l.* 65. *D. eod. n.* 113. 114. *& ſeqq.*

Multo minus de moribus judex ſententiam alterius territorii exequetur, ſi lata ſit contra ſui territorii ſtatutum, ratione rerum in ſuo territorio ſitarum. Idque obtinet in vindicationibus, ſucceſſionibus ab inteſtato, ſucceſſionibus ex teſtamento; etiam in contractubus, in quibus, eorum ratione, quæ cauſæ ſpectant deciſionem, ex antedictis, non ſervabitur ſtatutum loci judicii, verum loci contractus.

15. Si ſuper appellatione contentio, dubium nullum, quin ratione ſolemnium ſpectetur forma ſervari ſolita, in curiâ ſupremâ, ad quam appellatum eſt, per allegatos textus & DD. Quod ſi circa cauſæ momentum, ejuſque deciſionem incidat controverſia, ſpectabitur ſtatutum judicis à quo, non qui appellatur. Per textum & ibi notata in *Auth. Ut cum de appell. Nov.* 115. *in init. Addit. ad Bartol. ibique alii in l.* 1. *Cod. ſumm. Trinit. num.* 13. *vid. & à me antea notata.*

16. Verum quid ſtatuendum erit de citatione, quæ vel ante vel poſt litem conteſtatam locum habet, etiam poſt ſententiam, an ea fieri

fieri debebit juſſu & auctoritate judicis, ubi litigatur, an ubi domicilium habet reus, ſi forte alibi, ubi reperiebatur, & contraxerat, ſit conventus, vel ubi bona habet ſita? Reſp. Sunt qui diſtinguunt inter judices, qui uni ſupremo parent, quaſi, illi etiam extra domicilium citare valeant. Sunt qui abſolute negant judicem extra ſuum territorium citare poſſe, quid ibi ceſſet authoritas: ut mittere debeat litteras deprecatorias ad judicem in cujus territorio quis eſt citandus, ut debitorem citari faciat. Quæ poſtrema ſententia veriſſima, & communis Canoniſtarum, & uſu fori recepta. *Arg. l. fin. D. juriſd. l. 3. D. offic. Præſid. Felin. c. fin col. 1. de foro compet. Covarr. pract. quaeſt.* 10. *n.* 7. *Clarus. prax. Crimin. §. fin. q.* 31. *n.* 19. *Rebuff.* 2. *tom. ad ll. Gall. tit. de litter. Requiſ. gloſſ.* 3. *n.* 11. *Barboſ ad l.* 19. §. 1. *n.* 84. *Ut tamen prior, quæ Bartoli in l.* 1. *D. Req.* reis, procedat, ſi id judici inferiori permittat Princeps ſupremus territorii utriuſque. *Panorm. in c. fin. de for. compet. n.* 41.

SECTIO UNDECIMA

CAPUT PRIMUM.

1. *An qui crimen commiſit extra locum domicilii, ſecundum locum delicti, ubi*

ubi deprehenditur, ſit puniendus?

2. *Quid ſi tamen delictum non ſit commune?*

3. *An qui mandat delictum, puniendus ſecundum locum mandati, an impleti delicti?*

4. *An qui extra territorium delinquit, reverſus ad locum domicilii, pœnâ domicilii ſit puniendus?*

5. *Quid ſi forenſis alibi deliquerit, & alibi, deprehendatur, quâ pœnâ afficiendus?*

6. *Remiſſiones de jure civili erant neceſſitatis, moribus ſunt humanitatis.*

7. *An delinquens ratione bonorum alibi ſitorum conveniri poſſit?*

8. *Quid ſi in ſuo territorio ſagittam emiſerit, in alio per eam occiderit?*

1. NIhil jam examinandum ſupereſt, niſi ut circa delicta nonnulli caſus proponantur, quos paucis ſum examinaturus. Et quidē prima hęc erit queſtio: num qui crimen commiſit, quod in loco delicti, aliam meretur pœnam, quā in domicilii loco, ſi à judice loci delicti deprenēdatur, afficiendus ſit pœna ſtatuti, commiſſi criminis, an domicilii? Reſp. Uti regulariter quis contrahendo ſe ſubjicit ſtatu-

to loci contractus, ita etiam quis delinquendo, cenſetur ſemet loci ſtatuto, in quo deliquit, ratione pœnæ, ſubjeciſſe; maxime, ſi delictum juri naturæ vel gentium adverſetur. Maxime ſi ſtatutum pœnale, ratione delicti, non definitis perſonis conſtituatur: ut etiam conſentientes & non conſentientes obliget, ſi modo eo loci verſentur, ubi tale ſtatutum obtinet. *l.* 3. *D. offic. Præſid. Arg. l.* 1. §. *fin. D. ventr. inſpic. l.* 50. §. 1. *D. leg.* 1. *l. Saccularii. D. Extraord. Crimin. l.* 7. §. 4. *&* 5. *D. de Accuſ. l.* 11. *D. de Cuſtod. & Exhib reor. Gothefred. in d. l. litt. G. l. & Auth. Quà in Provinciâ. Cod. Ubi de Crimin. agi oporteat. Nov* 8. *c.* 12. *in med. initii: verb. ſed omnes ſimiliter. Nov.* 69. *Maſuerii Practic. tit. de Conſuet. & ſtatut. in fin. ibidemque alii. Nicol. Everhard. conſil.* 45. *n.* 18. *Coſtal. ad l. ult. n.* 3. *D. Noxal. Gilken. ad l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 92. *& ſeqq. & n.* 112. *Lagus Method. juris. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 20. 22. *Chriſtin. ad Mechl. in Præludi. num* 44 *Mev. ad Lubec. quæſt. Prælim.* 4. *n.* 11. *Perez. Cod. de leg. n.* 14. *Zoeſ. D. de Pœn. n.* 37. *& D. de juris & fact. ignor. num.* 5. *in ſimili. Anton. Matth. Tract. de Criminibus. libr.* 48 *D. tit.* 4. *c.* 4. *n.* 2. *Conſult. Juriſconſult. Batav part.* 1. *conſult.* 223. *diſting Bartol. in l.* 1. *Cod. Summ. Trinit. n.* 21. *Bald. de ſtatut. q.* 7. *Jaſon ad l.* 1. *Cod. eod. n.* 30. *& ſeq. diſſ. Johann. Andreas. ad c.* 2. *n.* 1. *de Conſtit. in* 6. *Clarus.* 5. *ſent.* § *fin. quæſt.* 85. *Bacchov. ad Treutl. d. loc.*

per

Digitized by Google

per DD. ibidem. vid. Maſcard. de interpret. ſtatut. concluſ. 7. n. 16. vid. & Oddum de Reſtit. part. 1. q. 9. art. 14.

2. Quod ſi tamen delictum non ſit commune, vel ſi commune, pœna ſtatuti non ſit delicti proportionata, ſaltem quæ non ordinarie infligi ſoleat, adeoq; contineat in loco ſtatuti quidpiam ſpeciale, non tenebitur reus, ordinariâ pœnâ, *l. 1. §. 1. D. Effract.*

Niſi tamen aliquo tempore in loco delicti fuerit commoratus, ut cognitam habere potuerit illius ſtatuti pœnam. *Arg. l. 2. Cod. Ubi de Crimin. l. 1. Cod. ubi Senator. l. 9. 10. D. Extraord. Crimin. Argum. l. 4. §. fin. D. de Re Milit. l. 14. §. tyroni. eod. Mev. ad Lubec. quæſt. 4. prælim. n. 11. alii apud Gilken. d. l. 1. Cod. ſumm. Trinit. n. 96.*

Vel etiam vero ſimiliter cogitare potuiſſet & debuiſſet, talem ſtatuto pœnam delicto impoſitam eſſe. Ut hoc caſu ignorantia veniam non meretur. *Arg. l. interdum. §. licet. §. divi. D. Publican. - l. fin. D. de decret. ab ordine faciend. gloſſ. ibid.*

3. An igitur & qui mandat delictum, ſi mandatum impleverit mandatarius, puniendus ſecundum loci ſtatutum, ubi mandavit, an ubi delictum eſt commiſſum? Reſpondeo, etſi videatur locus mandati ſpectandus, quaſi ibidem contraxerit cum mandatario; quia tamen non eſt contractus genus, tale mandatum illicitum, nec inter mandantem & mandatarium

datarium naſcitur actio mandati. §. 7. *inſtit. Mandat.* Dicendum videtur, locum commiſſi, aut conſummati delicti ſpectandum eſſe; atq; adeo pœnam, ſtatuto dicti loci, delicto impoſitam. *Arg. l. 16. D. l. Commiſſ. Clarus. loc. alleg. Abbas in c. licet. n. 27. de foro compet. Decius in l. hæres abſens. §. apud Labeonem. D. judic. Maſcard. d. tract. concluſ. 7. n. 17. 18. vid. de Mandate. Baldum in l. 29. §. quid ſi tantum. D. liber. & poſthum. l. ſi ſervum §. prætor ait. D. Adquir. hæred. Bartol. in l. is qui pro emptore. D. Uſucap. Salicet. in l. non ideo minus. q. 6. Cod Accuſ. Johan. Bertachinum. de Epiſcop. libr. 2. q. 36. n. 62. p. 75.*

4. Quid ſi qui extra territorium deliquit, ad locum domicilii revertatur, ibique prehenſus, coram ſui domicilii judice ſiſtatur, an puniendus erit ſecundum ſui domicilii ſtatutum, an ſecundum loci ſtatutum, ubi deliquit? Reſp. licet nonnulli cenſeant eum in loco domicilii, ſecundum ejuſdem ſtatutum puniri non oportere, quod ibidem non deliquerit, de quo caſu *Bartol. Bald. & ex profeſſo Salicet. in l. 1. Cod. de Summ. Trinit. n. 8.* & prolixe *Barboſ. ad l. 19. §. proinde, in artic. de foro delict. n. 53. ibique plures. D. judic.* Id quod forte obtineret, ſi delictum non eſſet commune, ſed illius civitatis proprium in quâ deliquit, caſu quo locus eſſet arbitrariæ pœnæ. *Arg. l. 1. §. expilatores. 1. D. Effract.* Aut certus tantum judex à Supremo

Principe

Principe ſit conſtitutus, qui de tali delicto ſolus judicet, non alius. *l. 8. Cod. de Diverſ. offic. libr. 12.*

Aut ſi inter civitates quæ invicem non parent, aut uni Principi ſupremo non ſubſunt concordata ſint concepta, de puniendis invicem ſubditis pari pœna, ex delicto pari. *Arg. l. non dubito. in fin. D. Captiv. & Poſtlim. licet in d. l. forte adhuc aliqua ſubjectio.*

Quia tamen reus criminis ſe videtur retuliſſe ad ſtatutum ſui domicilii quod optime noverat, & ad quod reverti decreverat, adeoque pœnam ſtatuto decretam reſpexiſſe, ut ei ſemet ſubjicere voluerit: etiam pœnâ domicilii, eundem afficiendum exiſtumarem. *Arg. l. 1. Cod. Ubi de Crimin. l. 65. D. judic.* Maxime, quod aliter delicta manerent impunita, & civis delinquere volens, extra territorium ſe conferret, ibique adverſarium provocando, ſtatutum ſui loci eluderet. contra *l. 51. D. Ad l. Aquil. diſſ. Matth. Gribald. in tom. comm. opin. libr. 17. verb. ſtatutum. p. 331. ex parte Maſcard. d. tract. concluſ. 6. n. 60. & ſeqq.*

5. Quid ſi forenſis alibi deliquerit, an punietur ſecundum pœnam ſui domicilii, an delicti commiſſi, an ſtatuti, ubi deprehenditur? Reſpondeo, ſunt qui cenſent, illum puniri non poſſe alibi, quam ubi deliquit: ut ſi alibi deliquerit, ſit dimittendus, *Salicet. ad l. 1. Cod. Summ. Trinit. n. 8. Matth. Gribald. loc. cit.*

cit. Barboſ. ad l. hæres abſens. tit. alleg. D. judic. per totum. p. 470. & ſeqq. Neque id aliter admittunt, quam ſi ſtatuto alicujus loci cautum fuerit, ut qui delictum alibi commiſit, & hoc territorium ingreditur, eâdem pœnâ ſit puniendus. *Bald. in d. l. 1. Cod. n. 97. poſt eum Salicet. apud Maſc. d. concl. 6. n. 72.* Licet non tam propter commiſſum delictum puniatur, quam propter illud ipſum factum, quod territorium ingrediatur, ſicque de novo judicem offendat. Dicendum nihilominus videtur, cum ubique locorum, ubi fuerit deprehenſus, puniri poſſe. Et quia non tantum omnium intereſt, maleficia non relinqui inulta, quam ſingulorum, propter cognationem illam naturalem, quam natura inter homines conſtituit, ut hominem homini inſidiari, ubique nefas ſit judicatum; adeoque ab homine beneficio affici, interſit hominis. *l. 51. D. Ad l. Aquil. l. 3. D. de Juſt. & jur. l. 7. in fin. D. Servis Export.* Accedit, quod conveniat magiſtratubus, ſuum locum flagitioſis hominibus purgare. Aſt flagitioſi ſunt & illi, qui alibi deliquerunt; ut & alibi ſint puniendi. *l. 13. D. offic. Præſid.*

Et quidem eundem pœnâ loci ſtatuti ubi deprehenditur, puniri poſſe, judicarem. Tum quia pœna etiã eſt ad exemplũ eſt infligenda, ut ſi puniatur alibi, ea pœna, quę ibidẽ obtinet, videatur eſſe puniẽdus, quod aliter ſubditi ibi locorum non deterrerentur; nec metus ad omnes

omnes perveniret. *Arg. l. 29. §. fin. D. de Pœn.*

Tum quia magiſtratus punientis non eſt inquirere unde ſint flagitioſi, ut non habitâ ratione domicilii, aut loci delicti, eos punire valeat, ſecundum delicti qualitatem, adeoque ſecundum qualitatem illi delicto in ſuo territorio per pœnam impoſitam. *l. 2. Cod. Ubi de crim. l. 1. Cod. Ubi Senator. l. 3. D. offic. Præſ. Argum. l. 12. in fin. D. de Teſtibus. nov. 8. c. 12. Auth. Quâ in Provinc. Cod. Ubi de Crimin.* excepto caſu juris canonici in *c. placuit. 6. q. 3.*

Si tamen alibi delictum non tantam merentur pœnam, quam ubi deprehenſus eſt reus, vel ibi pœna non ſatis ſit illi delicto proportionata, quia dura nimium & aſpera, judicis arbitrio relinquendum id eſſe cenſerem, quâ pœnâ facinoroſum punire velit. *Arg. l. 1. § 1. D. Effract.* Uti forte etiam vel ex comitate, vel concordatorum ratione pœnam domicilii rei criminalis infligere poterit. *Arg. l. 7. in fin. D. Capt. & Poſtl. Rev. vid. Bald. in l. Mercatores. Cod. Commerc. & Mercat. & in l. 2. Cod. Eunuch. & in l. ſi quis in hoc genus. Cod. Epiſc. Cleric. Alberic. de Roſate 2. part. D. nov. fol. 239. Johan. Bertachin. de Epiſcop. 2. part. libr. 4. q. 18. n 51.*

6. Jure tamen civili notandum, remiſſionibus locum fuiſſe de neceſſitate, ut reus ad locum, ubi deliquit, ſic petente judice,

fuerit

fuerit mittendus, quod omnes judices uni ſubeſſent imperatori. Et omnes provinciæ Romanæ unitæ eſſent acceſſorie, non principaliter. *Nov. 60. c. 1. nov. 134. c. 5. Auth. quâ in Provinc. & l. 1. Cod. Ubi de Crimin. l. 1. Cod. Ad l. Jul. Repet. l. 28. §. fin. D. de Pœn. vid. Gothefr. ad d. l. 1. Cod. & ad l. 7. D. de Cuſtod. & Exhib. reorum, Clarum §. fin. q. 38. n. 19. Grammat. deciſ. 26. Thoming. deciſ. 5. n. 9. Gomeſ. 3. Reſol. 1. n. 87. Donell. 17. comm. 16.*

Moribus nihilominus (non tamen Saxonicis) totius fere Chriſtianiſmi niſi ex humanitate non ſunt admiſſæ remiſſiones. Quo caſu, remittenti magiſtratui cavendum per litteras reverſoriales, ne actus juriſdictioni remittentis ullum pariat præjudicium. Id quod etiam in noſtris Provinciis unitis eſt receptum. Neque enim Provinciæ fœderatæ, uni ſupremo parent. Et licet ſint unitæ, non tamen acceſſoriè; ſic ut quælibet Provincia ſuis adhuc legibus & juribus regatur; adeoque conſiderari debeant, atque ſi omnes forent ſeparatæ. Non aliter atque fuerunt Portugalliæ & Caſtellæ, Angliæ & Scotiæ, regna. *Covarr. q. Pract. 11. n. 10. Maſc. tract. all. concl. 7. n. 20. in fin. Facbin. 9. controv. 21. & ſeqq. Barboſ. ad l. 19. §. proinde. in artic. de foro delict. n. 72. & ſeqq. n. 86. & ſeqq. & prolixe de Remiſſionibus prolixe. n. 103. & ſeqq. & n. 142. Conſil. criminale*

minale de foro ratione delicti; *poſt deciſ. Radelant.* 29. *Jan.* 1603. *maxime Teſſaur. deciſ.* 91. *Damhoud. Prax. crim. cap.* 33. *n.* 5. *Graſſum.* 2. *ſent.* 10. *q.* 3. *Andream Rauchbar. quæſt. jur. civil. & Saxonic. part.* 1. *q.* 50. *ſeu ult. per totum, ibique DD. varios allegatos. Sand.* 1. *tit.* 1. *def. ult. Damhoud. Prax. civil. c.* 33. *Trewtl. diſp.* 3. *vol.* 1. *theſ.* 8. *in Comment. Groenw. de ll. abrog. ad tit. Cod. Ubi de Crimin.*

7. Verum an unquam, qui delictum commiſit, ratione bonorum, alibi ſitorum conveniri poterit, ſic ut ibidem ſecundum ſtatutum bonorum veniat puniendus, licet non ibidem reperiatur? Non equidem. Quamvis enim quis ſortiatur forum, ubi ſubditus non eſt, aut non reperitur, idque ratione rei immobilis, ubicunque ea ſita ſit, *tit. Cod. Ubi in rem Actio.* Nullibi tamen legitur aliquem ſortiri forum ratione delicti, niſi vel ubi domicilium habet, vel ubi deliquit, vel alibi, ſi modo alibi deprehendatur. *Arg. l. libertas.* §. *ſola. D. Ad Munic. l. reſcripto.* §. *fin. D. Muner. & Honor. Alexand. Conſil.* 138. *col.* 3. *libr.* 1. *Cravett. conſil.* 27. *Alder. Maſc. tract. all concluſ.* 6. *n.* 46. 62.

Id quod tum maxime locum habet, cum ſtatuti pœnâ, intra ſuam diœceſin, aut alibi fuit punitus. Durum quippe foret, unius delicti nomine, quem duplici pœnâ puniri: *Marcus Anton. Marſcot. in c. ut animarum. de Conſtit.*

tit. 5. tom. Repet. jur. canonic. p. 116. *n.* 50.

8. Quid ſi quiſpiam è ſuo territorio ſagittam emiſerit, vel ſclopum exoneraverit, ſic ut aliquem in alieno territorio conſiſtentẽ, vel vulneraverit, vel occiderit? An ſpectandũ erit ſtatutum, ratione pœnæ infligendæ, ejus loci, ubi conſtitit, qui deliquit, an potius ejus loci, ubi quis eſt vulneratus, vel occiſus? Reſpondeo, ſtatutum loci, in quo deprehenditur eſſe reſpiciendũ, ut locus debeat eſſe præventioni. Ibi, quia affectus & animus fuit occidendi, qui pœnam meretur. Hic, quia delictum eſt conſummatum. *Arg l.* 1. *l.* 8. *D. Ad l. Cornel. de Sicar. tit. Cod. Ubi de Crimin. Abbas in c. licet. n.* 25. *de foro compet. vid. Clarum q.* 38. *verb. item pone*, quod aliquis. Sunt tamen qui reſpiciunt locum patientis, *per l. eum qui. §. pen. D. Injur. Maſcard. tract. alleg. concluſ.* 7. *n.* 25.

SECT. XI. CAP. II.

1. *Quale tempus ſpectandum, an delicti, an ſententiæ, dum agitur de pœnâ infligendâ?*
2. *Cujus loci ſtatutum de jure Romano ſpectandum circa bonorum confiſcationem?*
3. *Cujus loci ſtatutum de moribus, quoad immobilia?*

4. *Cujus loci ſtatutum, quoad mobilia?*

5. *An quiſque fiſcus teneatur ſui territorii creditoribus?*

1. UT in delictis ratione diverſitatis locorum, diverſæ etiam pœnæ infligendæ veniunt, prout jam examinatum eſt, & oſtenſum; ita etiam temporum ratione pœnæ quandoque variabunt, unius ejuſdemque delicti contemplatione. Quid ſi igitur, alia pœna delicto impoſita tempore delicti, alia tempore condemnationis; quænam erit facinoroſo infligenda? *Reſpondeo*, ea, quæ obtinebat ex vi ſtatuti, tempore delicti. Tum quippe obligatio ad illam pœnam erat nata, non aliter atque actio, ſimulac contractus eſt celebratus, licet in diem dilata ſolutio. Accedit, quod ſtatutum tempore latæ ſententiæ conditum, referretur ad præterita, ſi pœna delicto præterito, ex ſtatuto de futuro, eſſet irroganda; id quod eſſe contra naturam ſtatuti ſimpliciter loquentis, antea fuit deductum, per *l*. 9. *Cod. de leg. l.* 1. *D. de Pœn.* Videtur tamen obſtare *l. pen. D. ſi ex Noxal. cauſ. agatur.* Quę ſecundum DD. reſpicit pœnam tempore latæ ſententiæ debitam.

Et diſtinguit *Bartol. in l. omnes populi. D. juſt. & jure. n.* 48.

Aut pœna delicto eſt propria & proportionata, atque adeo pœna ordinaria; & inſpicitur ſtatutum temporis delicti. *l. ſi quis decurio. D. de Falſ.*

Aut

Aut quædam eſt adjectio vel diminutio pœnæ, ex aliquâ novâ qualitate perſonæ accedenti, vel ex aliâ aliquâ cauſâ; & inſpicitur ſtatutum tempore ſententiæ conditum. per *d. l. pen. D. ſi ex noxal. cauſ.* Id quod ad ſervum delinquentem, poſtmodum liberum factum, & per rationem ad ignobilem, poſtmodum nobilitatum recte retuleris.

Quaſi propter novam aliquam qualitatem mitius, quam antea puniendus eſſe videatur. *d. l.* 11. *D. Sepulcr. violat. l.* 1. §. 3. *D. Abigeis. l.* 1. *in fin. D. Furibus balnear.*

Hinc etiam merito Theorici ſtatuunt *in d. l. pen.* non agi, de pœnâ mutata, ſed perſonæ conditione. *Pacius Antin. cent.* 1. *q.* 74. & *Nicol. de Paſſeribus*, qui variorum reprehendit ſolutiones.

Id tamen ſecundum Bartolum certa veritate niti ſtatuit, quod ſtatutum temporis delicti ſit ſpectandum. *d. l.* 1. *D. Pœn. Nicol. de Paßer. in ſuo conciliatore n.* 20. *n.* 31. *p. mihi* 27. Per rationem, quod ſi pœna ſit certa, reus ſimulac deliquit, ad illam ſit adſtrictus; ſi incerta, demum ad illam quam judex tempore ſententiæ determinaverit. *l. fin. Cod. Contr. Empt. vid. Bald. in l.* 1. *D. de Pœn. Caſtrenſ.* & *Alexand. ad d. l. pen. ſi ex noxal. Maſcard. concluſ.* 4. *n.* 62. *diß. ex parte Clarus.* § *fin. q.* 85. *n.* 4. *Everh. conſil.* 45. *n.* 11. *Zoeſ. D. de Pœn. n.* 38.

2. Claudat agmen circa delicta, contro-

verſia de bonorum confiſcatione. Finge, quempiam in uno loco fuiſſe majeſtatis condemnatum, ejuſque bona fiſco addicta; an quæ habet omnia, fiſco loci, ubi condemnatus eſt, applicabuntnr, an vero quæ bona extra territorium ſita, fiſco alieni dicaſterii applicabuntur? Reſpondeo, de jure Romano, propoſita quæſtio nullam in ſe difficultatem continebat, quod omnes Provinciæ, uni ſubeſſent imperatori, adeoque omnia commiſſa uni fiſco applicabantur. *l. 1. & ſeq. D. bon. Damn. l. 5. in Princ. Cod. l. Jul. Majeſt. Nov. 134. cap. 13. circa fin. l. ſi quando. Cod. de bon. vacant. libr. 10. vid. Chaſſan. ad Burgund. Rubric. 2. §. 1. & ſeqq.*

3. De moribus tamen diſtinguendum foret, inter immobilia & mobilia bona. Illa quia judici loci ſubjacent, etiam fiſco cujuſque territorii applicabuntur; adeoque totidem erunt confiſcationes, quod ſunt diſtinctæ, nec invicem ſubjectæ ditiones. Etſi enim qui deliquit, ejus loci pœnis, ubi delictum commiſſum, ſe ſubjeciſſe cenſeatur; non tamen id extendendum videtur ad immobilia alibi jacentia, utpote in quæ nunquam judex qui condemnat imperium habuit, nec delinquens ea territorio cui ſubjacent exemit, aut eximere potuit. Nam ſi alibi ſita immobilia pœnali ſtatuto afficerentur, illud ſtatutum tanquam reale extra ſtatuentis territorium extendetur: quod abſurdum

dum eſſe ex anterioribus abunde patet. *Arg. tit. Cod. ubi in rem actio. l. ult. D. de juriſd. - l. 30. §. 1. D. de Excuſ. Tutor. l. 9. in init. Cod. de Pagan. l. 8. §. univerſi. Cod. Hæret. l. 20. Cod. de Epiſc. & Cleric. Cravett. conſil. 128. n. 10. Boerius ad Bituric. tit. 2. §. 10. Natta in c. quamvis. col. 61. verſ. 6. Gothefred. ad d. l. 30. Zoeſ. D. Ad l. Jul. Majeſt. n. 18. Anton. Matth. tract. de Auction. libr. 2. cap. 4. n. 31. & de Criminibus. libr. 2. tit. 20. cap. 4. n. 17. 18. 19. & de Judiciis diſp. ult. n. 119. per Clarum, Imbertum &c. Gilken. prolixe ad l. 1. Cod. Summ. Trinit. n. 120. 121. 122. 123. & ſeqq. ibique varii.*

4. Quod ſi de mobilibus alibi poſitis contentio, non idem videtur. Mobilia quippe judici domicilii, vel condemnanti cedere debebunt, quod ſequantur perſonam, & ibidem eſſe fingantur, ubi quiſque ſedem ſuarum fortunarum collocavit. *Arg. l. in lege 203. D. de verb. ſignif. l. 7. D. de incol. l. ex facto. 25 §. rerum. D. Hæred. inſtit. l. 186. D. de leg. 3. Arg. l. 50. §. 1. verb. cum non loci. D. de judic. Bald. in l. Mercatores. Cod. de Comm. & Mercat. Coſtal. in l. 8. D. Ex quibus cauſ. major. Burgund. ad Conſuet. Flandr. tract. 2. n. 25.*

Huc referam caſum quo quis condemnatus in uno loco, beneficio privatur quod alibi obtinet, ut tamen per alium judicem executio privationis illius beneficii fiat. *c. Po-*

ſtulaſti de foro Compet. Arg. c. fin. eod. Barboſ. ad l. 19. §. 1. n. 6. D. de judic. vid. mea ſuperius allegata.

Diſſentiunt hic alii, qui cenſent judicem bona quævis ſive mobilia ſive immobilia, in ſuo reperta territorio retinere poſſe. Id quod facile conceſſero, ſi de abſolutâ loquamur poteſtate, quam quiſque in ſuo poteſt exercere; ut non teneatur, niſi ex æquitate, mobilia cedere judici diſtincti territorii. *Clarus §. fin. q. 78. n. 27. Peregrin. de jure fiſc. libr. 5. c. 1. poſt Burſat. conſil. 43. n. 13. & alios ibid. vid. Tiraquell. de jure Primogen. q. 48. 49.* Id ſaltem ſic obtinere de moribus locorum nonnullorum in Galliâ poſt *Baldum in l. ex facto. D. Hered. inſtit. Alexandr. vol. 1. conſ. 31. Chaſſan. ad. § 16. tit. de Manumortuâ. n. 32. Conſuet. Burgund. ſcribit. Choppin. de Mor. Pariſ. 1. tit. 1. n. 4.*

Quod ſi tamen bonorum publicatio non ſit facta de jure communi, verum de jure ſpeciali; ſcil. ut civitatis ſtatuto in hoc aut illo caſu præter jus commune, bona delinquentis ſint fiſco loci applicanda; forte non erit ſententia confiſcationis ad bona extra territorium applicanda: niſi & ubi ſunt bona ſita etiam jure ſpeciali ad publicationem & confiſcationem auctoritate domini illius territorii procedatur. *Franciſcus Lucanus de fiſco & ejus Privileg. 2. part. de Publicat. bonor. n. 4. p. 112. volum. 1. tract. Gilken. ad init.*

init. tit. Cod. Summ. Trinit. n. 131. 132. 133. *ibique varii*.

5. Verum an caſu quo bona confiſcata in diverſis territoriis ſita, duobus aut pluribus fiſcis applicantur, quiſque fiſcus tenebitur tantum ex ſuis confiſcatis, ſui territorii creditoribus, qui fiſco pœnam perſequenti ſunt potiores, an omnibus creditoribus indiſtinctè; id eſt non tantum ſuis, ſed & forenſibus? Reſp. Fiſcus, etiam alieni territorii, omnibus etiam alterius territorii creditoribus, condemnati debitoris, obligatur; eo quod inter fiſcos facta diviſio bonorum contemplatione, creditoribus nequeat præjudicare. *per l.* 50. §. 1. *D. de judic. l. ſi pro ratâ. D. de Religioſ. l. ſi vir uxori. D. Ad leg. Falcid. Alex. conſil.* 32. *n.* 16. *libr.* 1. *Tiraquell. de jure Primogen. q.* 35. *n.* 31. *Peregrin. de jure fiſc. libr.* 5. *tit.* 1. *n.* 144. *Salgado de Somoſa labyr. concurſ. creditor. part.* 2. *c.* 12. *n.* 34. 35. *diſſ. Clarus Pract. crim. q.* 78. *verb. ſed quæro. Bald. Angel. in l. ex facto. D. Hæred. inſtit. vid. Choppinum de Moribus Pariſ.* 2. *tit.* 5. *n.* 24.

Quandoque tamen ceſſabit hoc jus creditorum, ſic ut nequeant ad univerſum patrimonium defuncti recurrere, verum ad certam bonorum portionem, loco & qualitate à cæteris diſtinctam. Id quod ex privilegio in bonis militis obtinere colligitur ex *l.* 17. §. *Julianus. D. Teſtam. Milit. l.* 26. §. *ſi miles.*

miles. D. Familiæ Erciſc. Quod privilegium cum exceptionem inducat à regulâ, certum erit regulam in aliis caſubus non exceptis non vitiari.

SECTIO XII.

CAPUT PRIMUM.

1. *Jura non facile immutanda.*
2. *Cujus ſit ſtatuta tollere?*
3. *An decurionum?*
4. *An Principis?*
5. *An ſi ſtatuta ſint jurata?*
6. *An ſtatuta extendantur ultra vitam ſtatuentium?*
7. *An ſic unquam condantur, ut nunquam tollantur?*

1. ETſi non facile ea ſint immutanda, quæ diu placuerunt, & nonniſi propter evidentem aliquam reipublicæ utilitatem. *l. 2. D. de Princip. Conſtit.* Nec jurium aut ſtatutorum in dubio præſumenda correctio, utpote quæ odioſa. *Arg. l. 32. in fin. Cod. de Appellat. Andreas ab Exea in c. canonum ſtatuta. de Conſtit. Repet. jur. canon. tom. 2. p. 190. n. 173. Merul. prax. civil. libr. 1. tit. 4. c. 1. art. 25. Montan. de Tutel. cap. 4. n. 50. Ritterſhuſ. ad Nov. in Proœm. c. 3.*

Quia tamen nihil conſtans eſt & ſtabile, nihil

nihil perfectum in rerum naturâ, quæ vel in dies novas deproperat ed re formas, vel quod antea confuſum, declarare, quod imperfectum perficere, quod antiquatum forte renovare. *nov. 7. in init.* §. 13. 18. *Cod. de vet. jur. Enucl.* Ideo non ſic unquam leges vel ſtatuta ferri poterunt, ut non quondam mutationi, vel emendationi, ſubjaceant. Quâ etiam ratione poſtquam de ſtatutorum conſtitutione, naturâ, & effectubus dictum eſt, non poterunt omitti, quæ eorundem vel obrogationem, vel derogationem, vel abrogationem ſpectarent.

2 Ubi primitus in genere inquiritur, cujus ſit ſtatuta tollere vel abrogare? Reſpondeo, ejus eſt ſtatuta tollere, cujus eſt conſtituere: quod nihil tam naturale ſit, quam unumquodque eodem modo ſolvi, quo ligatum eſt. Ut etiam eadem in revocando ſolemnitas requiratur, quæ in condendo. §. 1. *inſtit. quibus mod. tollitur oblig. l. nihil tam naturale. D. Regul. juris. l. 3. D. eodem. l. ult. Cod. de legibus. DD. ad d. l. nihil.*

Unde qui condere ſtatuta nequit ſi non accedat Principis ſupremi confirmatio, eadem ſine ejuſdem auctoritate tollere non poteſt. *Natta conſil. 534. n. 32. vol. 3. Maſcard. de Statut. interpret. concluſ. 8. n. 39. ubi plures*

Niſi tamen, uti ſtatuunt DD. ſtatuentes ad jus commune velint recurrere, aut ad ſta-

tutum antiquum; quaſi tunc non opus eſſet ſupremi Principis in abrogando auctoritate. *Abbas, Felinus. in c. cum acceſſiſſent. de Conſtit. Johan. Crot. in c. conqueſtus. de Uſur. n. 12. tom. 4. Repet. jur. canon. p. 756. Maſcard. d. tract. concl. 8. n. 93.* Quod tamen non poteſt non diſplicere, propter regulam generalem antea traditam, à quâ quiſquis deviaverit, is mihi exceptionem aut limitationem, aliqua lege, aut legis argumento probaverit.

3. An igitur per Decuriones, aut civitatis conſilium, quod ſtatuta condidit, eadem immutari, vel tolli poterunt? Reſpondeo, (caſu quo ſupremi Principis confirmatio fuit neceſſaria) vel ſunt condita ſtatuta per decuriones in favorem civitatis; in quantum hoc illis Princeps permiſit; & revocari poterunt; ſiquidem cuivis licitum eſt favori pro ſe introducto, adeoque privilegio ſibi per Principem tributo, renunciare. Vel ſtatuta ſimpliciter introducta ſunt in bonum communitatis, nec tantum Principe talia permittente, verum etiam eadem expreſſe comprobante. Neque à ſtatuentibus tolli poterunt, niſi etiam Principis accedat auctoritas. Per regulam antea traditam, quod unumquodque eadem ſolemnitate tollatur, quâ conſtitutum eſt. *d. l. nihil tam naturale. D. de Regul. jur. §. 1. & ult. Inſtit. quibus mod. teſtam. infirm. l. 1. §. 6. Cod. de veter. jur. Enucl. Paulo tamen*

aliter

Digitized by Google

aliter hæc explicat Baldus de Statut. q. 26. num. 3. Bartol. in l. omnes populi. D. juſt. & jur. n. 33. vid. Anton. Burges. in c. cum acceſſiſſet. de Conſtit. 2. Tom. Repet. jur. can. p. 391. n. 72. Hieron. Pantſman. quæſt. jur. contr. libr. 2. q. 17. n. 60. Zoeſ. D. de Princ. Conſtit. n. 35. Perez. Cod. de officio juridic. Alexandr. num. fin.

4. An itaque Princeps, qui ſtatuta confirmat, eadem tollere poterit? Reſpondeo, quia talia ſtatuta non ſunt ſtatuta, niſi Principis conſenſus expreſſus vel tacitus accedat. *l. 3. Cod. Silent. libr. 12.* Etiam ejus eſt tollere, cujus erat conſtituere. Dicendum erit, Principem de plenitudine poteſtatis talia ſtatuta poſſe abrogare. Modo ſe hoc velle expreſſerit; quod id in ſpecie ſit exprimendum, Principem ea velle abrogare. Ejus quippe eſt nolle, cujus erat velle. *l. 3. D. de Regul. juris. ibique DD. l. 35. l. 153. D. eod. vid. Merul. Praxi Civil. libr. 1. tit. 4. c. 2. n. 4. Chriſtin. vol. 2. deciſ. 53. n. 6.* Qui tamen nonnihil à ſe ipſo diſſidere videtur in *Prælud. ad Mechlin. n. 8. & in Epilog. n. 24.*

5. Quid ſi ſtatuta ſint jurata, an nihilominus eadem tollere poterit ſupremus Princeps? Quid ni, cum eadem ſit ratio ſtatutorum juratorum, quam non juratorum: quod juſjurandum ſequatur naturam actûs cui apponitur. Id quod etiã in collegiis admittunt, ſi ſtatutis collegialiter contraveniant, qui ea

condiderunt.*l. ult. Cod. de non numer. Pecun. Afflict. deciſ.* 361. *n.* 9. *Panormit. in c. dilecto. Col. fin. verò. ſed adverte. de Præb. Andr. ab Exea, in c. canonum ſtatuta. de Conſtit. in Tom.* 2. *Repet. jur. can. n.* 161. *p.* 189. *Cravett. conſil.* 238. *n.* 11 *Baldus vol.* 4. *conſil.* 430. *Giurb. ad Meſſanienſ. Senat. conſuet. Proæm. part.* 1. *n.* 27.

6. Verum an quæ ſtatuta juſto Decurionum numero condita, & à Principe confirmata, ultra ſtatuentium vitam extenduntur, an potius iis defunctis, obligandi vires amittunt? Reſpondeo, licet Prætorum edicta olim fuerint annalia, nec ultra extendebantur, quod nonniſi annuum eorum eſſet imperium. §. 1. *inſtit. de Perpet. & tempor. Action.*

Quia tamen iſta ratio Triboniani forte minus accurata. Quod ſæpe ultra tempus juriſdictionis poteſtas majorum magiſtratuum extendatur, effectu inſpecto. Etiam Prætores antiqui, edicta condiderunt, actiones introduxerunt, quæ in perpetuum obtinerent. Nec ſemper finito officio, ea exſpirant quæ geſta ſunt officii nomine. Etiam ipſa decurionum univerſitas non interit, licet in illa capita ſingula extinguantur; quod jus nihilominus univerſitatis continuatâ ſerie maneat, & in uno decurione conſervetur. Dicendum erit ſtatuentium morte ſtatuta ſuas vires non amiſiſſe. *d,* §. 1, *inſtit. Perpet. & Tempor.*

Digitized by Google

Tempor. action. l. moris. 9. D. de Pœn. l. 1. D. de Poſtul. l. 49. §. 1. l. 76. D. judic. Arg. l. 1. D. offic. Præf. Urbi. l. puta. D. Poſtul. l. geſta. 6. Cod. de Re judic. c. fin. de offic. legat. Petr. Anchor. in c. canonum ſtatuta. de conſtit. Tom. 2. Rep. jur. can. p. 102. n. 107. vid. Chriſtin. ad Mechlin. in Epilog. n 13. & diſtinguentem. Arumæum diſcurſ. Academic. de jure Public. 9. vol. 2. theſ. 102.

7. Verum an ſic unquam ſtatuta condi poterunt à magiſtratu municipali, ne tollantur unquam, vel immutentur, ad inſtar edicti cujuſdam perpetui? Reſpondeo, non equidem. Neque enim prædeceſſores eam legem aut ſibi, aut ſucceſſoribus præſcribere poterunt, à qua nunquam juſta de cauſa & publica ſuadente utilitate, ne dicam, publica neceſſitate urgente, recedere poſſent. *l. nemo. l. de quibus 32. D. de leg. l. 2. D. Princ. conſtit. l. nihil tam naturale. D. de Reg. jur. l. 2. § 18. Cod. vet. jur. Enucleand. Nov. 7. in init. Arg l. quoties. Cod. de fideicomm. l. pen. Cod. de Primip. libr. 12. Bald. de ſtatut. quæſt. 26. num. 2. Anton. Burges. in c. omnes. de Conſtit. in tom. 2. Repet. jur. canon. p. 293. n. 232. diſt. Bartol. in l. omnes populi. D. de Juſt. & jur. n. 51. & auctores in addit. num. 30. litt. a. vid. de juratis ſtatutis, non revocandis. Anton. de Roſellis. de Conciliis. n. 43. p. 112. vol. 4. tract.*

8. Quid ſi tamen ſtatuta tranſiverint in

contractum? Certum eſt, ea ne quidem à Principe poſſe revocari.

Idem quod ſtatuendum, ſi introducta ſint ſtatuta, vel civitatibus permiſſa, per modum privilegii. Niſi tamen contrarium publica ſuadeat neceſſitas, quæ legem non fert, & ex illicito, aliquid faciat licitum. *Maſcard. poſt alios. concluſ. 8. n. 52. & ſeqq. vid. mea ſuperius in cap. de Privileg.*

SECT. XII. CAP. II.

1. *Non præſumenda eſt mutatio ſtatutorum, ſed probanda?*
2. *Quid ſi ſtatuta quidem condita, verum uſu non recepta?*
3. *An id obtineat, ſi decennium interlabatur?*
4. *Abolentur ſtatuta deſuetudine, vel uſu contrario.*
5. *Quodnam tempus ad deſuetudinem requiratur?*
6. *An ad contrarium uſum introducendum ſufficiat unus actus?*
7. *An ſtatuta tollantur partium renuntiatione?*
8. *An ſi civitas armis ſit ſubacta?*
9. *An revocatis ſtatutis, reformationes cenſeantur revocatæ?*

10. An

10. *An revocatis ſtatutis cenſeantur ante geſta revocata?*

11. *An allegans ſtatuta abolita incidat in crimen falſi?*

1. ETſi nonnunquam ſtatuta poſſint ad lubitum ſtatuentium revocari, quæ juris erat quæſtio, non tamen præſumendum erit, eadem eſſe revocata, niſi id ipſum per probationes manifeſte conſtet. Tum quia odioſa eſt mutatio, adeoque non præſumenda. Tum quia ſtatuta ſunt legum inſtar, quæ ſemper durare præſumuntur. *Arg. l. 2. D. de Princ. Conſtit. l. 32. in fin. Cod. Appellat. l. Ariani. in fin. Cod. de Haret. c. erit autem lex. diſt. 4. Menoch. 2. Præſumpt. 2. in fin. & 2. Præſumpt. 16. n. 15. Bartol. in l. certa forma. n. 11. Cod. jure fiſci. libr. 10. Maſc. de ſtatut. interpret. concluſ. 11. n. 35.*

2. Quid ſi ſtatuta quidem condita, verum uſu non recepta vel obſervata? An egent ullâ abrogatione, an potius pro nullis habenda? Poſterius affirm. Quia pro talibus habentur, ac ſi facta non eſſent, adeoque non alleganda. Maxime ſi caſus extiterit, ut municipes iis uti potuerint. Deeſt quippe requiſitum ad ſtatuta neceſſarium quam maxime; ſcilicet ut ſint recepta. *Arg. l. 1. §. 9. in fin. Cod. Cad. Toll. per DD. antea allegatos.* Adde *Alex. vol. 1. conſil. 6. n. 2. Felin. ad c. 1. de Treug. & Pa-*

ce.

ce. *Maſcard. libr. all. concl.* 8. *n.* 28. *& ſeqq. Mev.* 4. *Prælim.* 9. *n.* 65. 75.

3 Id quod obtinere volunt DD: Si lapſus interſit decennii à die conditi cujuſdam ſtatuti. *Argum. l.* 2. *de Nundin. ibique DD. Menoch.* 1. *conſil.* 75. *n.* 9. *Purpur. conſil.* 449. *DD. in c. fin. de Conſuet. in* 6. *Maſc. d. tract. concluſ.* 6. *n.* 77. 78. 79. *& ſeqq. & concluſ.* 11. *n.* 5. 6.

4. Quid ſi uſu recepta ſint ſtatuta? Deſuetudine vel uſu contrario abolentur. Deſuetudine, id eſt conſenſu tacito; uſu cõtrario, id eſt conſenſu expreſſo. Hiſce enim duobus caſubus id videntur ſtatuentes voluiſſe, ne ſtatutis ſuus conſtaret vigor, ſuum robur. *l.* 32. *verb. quare. l.* 34. *D. de leg. l.* 5. *D. de Decret. ab ordin. faciend. Bartol. ad l. omnes populi. D. juſt. & jure. n.* 33. *Franciſc. Vivius. deciſ.* 338. *Rebuff. ad Conſtit. Reg. tom.* 1. *in Proœm. gloſſ.* 5. *n.* 15. *apud Chriſtinæum. vol.* 2. *deciſ.* 52. *n.* 1. *& num pen. & ult. & in Prælud. ad Mechlin. n.* 10. *per allegatos ibidem.*

5. Ut tamen ad deſuetudinem deſiderent lapſum decennii, per *l.* 2. *D. de Nundin. Alexand. conſil.* 132. *viſa facti narratione. libr.* 1. *Cephall. conſil.* 155. *n.* 17. *aliique apud Maſcard. d. concl.* 6. *n.* 83.

Deſiderarem tamen potius vetuſtatem, ſeu tempus immemoriale, quod pro lege eſt. *l.* 2. *in init. D. de aquâ & aquâ pluv. arcend.* vel ſecundum mores plerorumque ſpatium tertiæ

partis

partis centum annorum; quo omni juri præſcribi ſolet.

6. An igitur per contrarium uſum ſtatuta cenſebuntur abrogata, modo unus actus univerſitatis ſit in contrarium? Id videtur dicendum: quia non aliter atque ſtatuta legum inſtar, ab univerſitate ſimul & ſemel introducuntur; ita etiam ſimul & ſemel ab eâ tolluntur. *Arg. l. nihil tam naturale. D. de Reg. jur.* Id quod tum maxime verum, cum actus in contrarium ab univerſitate eſt adhibitus ſcienter, & quidē citra vim aut metum, aut citra proteſtationem juris ſui conſervandi gratia adhibitam. *Argum. l. 6. §. ult. D. Adquir. vel omitt. Hæredit. ibique Gothefred. in not. Abbas in c. pro illorum. in ult. not. de Præbend. aliique apud Maſcard. d. tract. concluſ. 11. num. fin. vid. Gail. 2. obſ. 31. Mynſing. 6. obſ. 41. Grav. 2. Pract. concluſ. 31.*

7. Verum an non ſtatuta tolli poterunt renunciatione partium, quæ ſtatuti commodis utuntur? Reſpondeo, ſi quando ſtatutis aliquid eſt introductum, quod ſpectat commodum & utilitatem partium contrahentium, illis non uti poterunt: ſi modo non promiſerint ſe contenta ſtatutorum eſſe ſervaturas. *Anton. Burges. Tom. 2. Repet. jur. can. in c. ſicut Romana. de Reſcript. p. 424. n. 148.* Quod ſi de jure tertii, vel jure publico diſponant ſtatuta, non recte eadem omittunt, vel diſponendo vel contrahendo, qui negotium

tium aliquod gerunt. Ut tamen neutro caſu ſtatuta tolli dicantur: quod ejus tantum ſit tollere, cujus eſt conſtituere. *l. pen. Cod. de Pact. l. 38. l. 46. D. eodem. l. 55. D. de leg. 1. -- Arg. l. nihil tam naturale. l. 23. D. de leg. l. ult. Cod. eod. Marant. part. 4. diſtinct. judic. 12. n. 26. Gail. 1. obſ. 40. & obſ. 39. Merul. Prax. civil. libr. 4. diſtinct. 2. tit. 1. c. 13. n. 3. Hering. de fidejuſſ. c. 17. n. 56. Honded. vol. 1. conſil. 28. n. 34. Mev. ad Lubec. q. 7. præl. n. 16. & q. 9. n. 75. 76. & ſeqq.*

8. Quid ſi municipium vel civitas, quæ ſtatuta condidit, armis fuerit devicta, an eo ipſo ſua ſtatuta vel privilegia cenſebitur amiſiſſe? Reſp.

Aut ſe ſubjecit civitas ex conventione, ſalvis ſuis juribus & privilegiis, tumque ſtatuta ſervat illibata, ut propriis legibus regatur. Standum quippe eſt pactis, quæ etiam hoſtibus illibata ſervanda; in *l. 5. Cod. de Pact. Hottom. illuſtr. quæſt. 7. Grot. de jure Bell. libr. 3. c. 19. Zoeſ. D. pact. n. 55.*

Aut non expreſſâ ulla conditione hoſtibus ſemet ſubjecit; & niſi Princeps patiatur civitatem uti ſuis legibus & ſtatutis, ea ſublata cenſebuntur; adeoque ipſa jus ſequetur victoris. *Arg. l. 9. D. Ad l. Rhodiam de jactu. ibique DD. Grot. de jure belli & Pacis. libr. 3. cap. 8. & 15. ibique plures.*

9. Verum an revocatis ſtatutis, uno ex præ-

prædictis modo, etiam reformationes circa ſtatuta factæ, revocatæ cenſebuntur? Reſpondeo, quod ita. Sublato quippe principali, tollitur acceſſorium, adeoque omnia corruunt concomitantia. *l. cum principalis. D. de Reg. jur. ibique Decius & DD. §. fidejuſſores. inſtit. fidejuſſ. Pichard. ad §. ſi quis. alium. inſtit. Inut. ſtipulat. n. 32. Regul. acceſſorium. q. 2. de Reg. jur. in 6. Barboſ. Princ. & axiom. juris in verb. acceſſorium. Addit. ad Abbatem in c. 1. de Conſtit. Princ. & alii apud Maſcard. d. tract. concluſ. 11. n. 36. vid. Ludovic. Gomeſ. in c. ſtatutum. de Reſcript. libr. 6. n. 95. tom. 5. Repet. jur. canonic. p. 180. & p. 312. n. 11.*

10, An igitur ſtatutorum revocatio, cetrotrahetur, id eſt ad ante geſta, referetur? Reſp. Uti leges regulariter futuris dant formam negotiis, ſic etiam ſtatuta. *l. 7. Cod. de leg. nov. 73. §. obtineto. nov. 75. nov. 115. in init.*

Niſi tamen ſtatutorum revocatio per expreſſa verba referatur ad præterita negotia, ſicuti ad pendentia trahi poterunt, eodem modo. *d. l. 7. l. 18. in fin. Cod Sacroſ. Eccleſ. l. ult. in fin. Cod. eod. nov. 113. §. ad hae & illud. nov. 99. c. 1. §. 2. nov. 115. c. 1. Cujac. ad nov. 66.*

Unde probabile *Conſtit. Ordinum Trajectin. de ann.* 1659. *April.* 14. *quâ artic.* 13 (contra quam antea obtinebat) mares & fœminæ demum

demum poſt 25. ætatis annum cenſentur majores, non trahi ad ante geſta negotia, per illos, qui ſtatuto civitatis, 18. vel 20. ætatis anno, cenſebantur majores, vid. *Bald. in l. jus civile. n. 3. D. juſtit. & jure. Stephanum. de Coſte de Affinit. n. 17. fol. 23. vol. 1. tract. Maſcard. concluſ. 8. n. 103. & concluſ. 11. de ſtatut. interpret.*

11. An denique caſu quo ſtatuta ſunt abolita ſeu antiquata, qui eadem in judiciis allegat, diſſimulatis ſtatutis corrigentibus, incidet in crimen falſi? Reſpondeo, cum legibus & abrogatis conſtitutionibus uti non liceat, citra crimen falſi; & ſtatutorum eadem ſit vis in municipiis, quæ eſt legum vel conſtitutionum, in imperio. Dicendum videtur allegantem ſtatuta, quæ poſterioribus ſunt abrogata, falſi criminis teneri. *l. fin. D. de Falſ. l. 1. Cod. de Juſtin. Codic. confirm. vid. Novell. 115. in init. & cap. 1. Bartol. in l. omnes populi. in fin. D. de juſtit. & jure. idem in d. l. fin. Hippol. Riminald. in c. canonum ſtatuta. de Conſtit. n. 121. tom. 2. Repet. jur. canon. p. 238. Oldendorp. in init. Claſſ. Actiouum. Præfat. de Ordin. juris. n. 9. in fin. Chriſtin. ad Mechlin. in Epilog. n. 17. & ſeq.*

Niſi tamen pro parte tantum correcta dicantur. Vel non principaliter allegarentur, ad cauſæ deciſionem, ſed tantum in argumentū trahantur; ſi non & hoc expreſſè prohibitum. Vel tantum ad illuſtrationem & declarationē

de

de novo conditorum allegentur. Vel dubitetur, an ſint correcta, vel abrogata. Vel ea imperator allegaverit, qui vetera allegando, videtur nova facere. *Argum. d. l. 1. Cod. & §. 5. inſtit. Proœm. init. inſtit. de Teſtam. §. 5. inſtit. Exhared. liberor. l. ult. Cod. leg. l. 32. in fin. Cod. Appell. Hippol. Riminald. in c. canonum ſtatuta. de Conſtit. tom. 2. Repet. jur. canon. p. 238. n. 122. & ſeqq.*

Atque ita favente Deo Opt. Max. per quem ſum, hoc quod ſum, tractatum meum de ſtatutis ad finem perduxi. In quo conſcribendo non aliena ſcrinia compilavi, aut ab aliis probe dicta, mea feci, ſuppreſſis auctorum nominibus; verum candide, quod aliorum erat, illis reliqui. Id autem affectavi quam maxime, ne prolixis verborum ambagibus aut floſculis quibuſdam oratoriis in hâc materiâ practicâ, nullum uſum præbentibus, ſtudioſum juris detinerem. Paucis equidem multa complecti volui, non multis pauca. Imitatus in hoc ſcribendi genere Stoicos antiquos, qui non tam verbis quam rebus, atque ſententiarum pondere ſuperare contendebant. Tu lector judicioſe, hiſce meis utere vel tantum ad indicium; & cogita me tibi ad interiora praxeos aditum pandiſſe, quæ tute per tuam induſtriam ipſe magis excolas & exornes.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

SECTIONUM ET CAPITUM.

SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

1. PRacognitione, etiam in jure, opus eſſe.
2. Quid ſit jus in genere, definitur.
3. Juris prima diviſio proponitur.
4. Jus Dei quid ſit?
5. Quid jus creaturarum?
6. Quid jus humanum?
7. Quotuplex jus humanum?
8. Quo referendum jus ſacrum?
9. Publicum unde collectum?
10. Jus naturale Dei & hominum ſunt diſtincta.
11. Explicatur jus naturale hominum.
12. Jus naturale hominum immutabile.
13. Juri naturali matrimonium adſcribitur.
14. Liberorum procreatio, amor & educatio.
15. Sui defenſio, & injuriæ propulſatio.
16. Non nuda defenſio bonorum.
17. Religio juri naturæ adſcribitur.
18. Amor itidem patriæ atque parentum.
19. Ut tamen amor patriæ ſit præferendus amori patris.
20. An libertas?

CA-

CAPUT II.

1. *Differentia inter jus gentium & naturæ traditur.*
2. *Diviſio juris gentium in primævum & ſecundævum, defenditur.*
3. *Quænam juri gentium primævo ſint annumeranda?*
4. *An diſtinctio dominiorum referatur ad jus gentium ſecundævum?*
5. *An regna?*
6. *An bella?*
7. *An captivitates?*
8. *An obligationes & contractus?*
9. *An actiones?*
10. *An Hypotheca, conſtitutum, emphyteuſis? &c.*

CAPUT III.

1. *Quid ſit jus civile in genere, deſcribitur.*
2. *An mutabile?*
3. *Quot modis aliquid dicatur juris civilis? Et an ſtipulatio? Acceptilatio?*
4. *An teſtamenti factio, Tutela, &c.*
5. *Unde dignoſcatur aliquid eſſe juris civilis?*

CAPUT IV.

1. *Jus civile, ſecundum excellentiam, quid ſignet?*
2. *Ejus diviſio traditur.*

3. *Quot*

Digitized by Google

3. *Quot portiones juris ſcripti?*
4. *Utrum Reſponſa juriſconſultorum jus faciant?*
5. *Utrum Prætorum edicta?*
6. *Utrum res judicatæ?*
7. *Utrum ſententia à Principe lata?*
8. *Utrum communis opinio doctorum?*

SECTIO SECUNDA

CAPUT PRIMUM.

1. *IN ſtatu monarchico tantum Princeps jus facit.*
2. *Lex regia multiplex.*
3. *Ubi legis Regiæ monumentum?*
4. *Utrum ea unquam fuerit lata?*
5. *Lex Regia, non eſt jus Regium Hebræorum.*
6. *Quo tempore lata ſit lex Regiâ?*
7. *A quo ea fuerit lata?*
8. *Quis finis legis Regiæ?*
9. *Quæ occaſio?*
10. 11. *An ſi metus fuerit occaſio, lex valeat?*
12. *Quale jus in Principem ſit collatum?*
13. *An communicative, an abdicative?*
14. *An aliqua poteſtas penes ſenatum?*
15. *An Princeps legibus ſolutus?*
16. 17. *Senſus legis Regiæ explicatur.*

SECT. II. CAP. II.

1. *Quæ ſint majeſtatica?*

2. *Quid*

2. *Quid ſint Conſtitutiones Principum in genere?*
3. *An omne Principis placitum lex ſit?*
4. *Quot generum ſint Principum conſtitutiones?*
5. *Quid decretum?*
6. *Quid* Edictum?
7. *Quid oratio?*
8. *Quid mandatum?*
9. *Quando valeat?*
10. *Utrum omni Principis mandato ſit parendum? diſt.*
11. *Objectionibus ſuccurritur.*
12. *Quid ſit reſcriptum?*
13. *Quis poßit ſupplicare Principi?*
14. *Utrum reſcriptum Principis habeat vim legis?*
15. *Utrum Principis interlocutio?*
16. *Utrum omne reſcriptum valeat?*
17. *Utrum per ſub aut obreptionem vitiata valeant?*
18. 19. *Quibus modis reſcripta vitientur?*
20. *An reſcripti exemplum, an authenticum probet?*
21. *An error in conſtructione vitiet reſcriptum?*
22. *An reſcriptum Principis ſtrictè ſit ſumendum?*
23. *Utrum jus tertio quæſitum per Principem poſſit auferri?*

Digitized by Google

SECT. II. CAP. III.

1. *Quid ſit* jus Singulare?
2. *Quid ſint Privilegia*?
3. *Diſtinctio inter privilegia, & jus ſingulare.*
4. *Quis poſſit introducere privilegia*?
5. *Quod Generum ſint privilegia*?
6. *Alia ſecundum DD. proponitur diviſio.*
7. *Si ſenſus privilegii dubius, quale præſumendum*?
8. *Quomodo privilegia interpretanda*?
9. *Quis ea interpretetur*?
10. *Quibus modis finiantur*?
11. 12. 13. 14. 15. *An revocatione*?
16. *An ſuadente publicâ utilitate*?
17. *An ſi quis privilegio indignus*?
18. 19. *An ſucceſſor Principis revocare poterit privilegium*?

SECTIO TERTIA

CAPUT PRIMUM.

1. *QUotuplex jus non ſcriptum*?
2. *Utrum conſuetudinem familia introducat*?
3. 4. *Quid ſit conſuetudo, Et quot ejuſdem requiſita*?
5. *Utrum in ſcripturam poſſit referri*?
6. *Utrum conſuetudini adverſetur error*?

7. *Utrum*

7. *Utrum conſuetudo debeat eſſe juſta?*
8. *Cujus ſit arbitrari de iniquitate, in foro ſoli?*
9. *Cujus de injuſtitiâ conſuetudinis, in foro Poli?*
10. 11. *Quot actus requirantur ad introducendam conſuetudinem?*
12. *An id judicis arbitrio ſit relinquendum?*
13. *An ad introducendam conſuetudinem requirantur actus judiciales?*
14. 15. 16. 17. 18. 19. *Quot anni requirantur ad introducendam conſuetudinem?*
20. *Quid ſi de conſuetudine dubitetur, an ea per unum doctorem eximium probanda?*
21. *An per teſtes? An per inſtrumenta?*
22. *Quænam requirantur, ut per teſtes probetur conſuetudo?*
23. *Promptiſſime per actus judiciales probatur.*

SECTIO. III. CAP. II.

1. *Conſuetudo non minores habet vires, quam lex.*
2. *Interpretatur legem, contractum, teſtamentum, &c.*
3. *Quandoque lege ſuperatur.*
4. *Quandoque legem ſuperat.*

SECT. III. CAP. III.

1. *Quid ſit ſtylus curiæ?*
2. *Qui probetur ſtylus curiæ?*

3. *Quandoque Stylus curiæ ſpectat litis deciſoria.*

SECT. III. CAP. IV.

1. *Æquitas commendatur.*
2. *Diſtinguitur à diſpenſatione.*
3. *Eſt juris portio.*
4. *Et quidem juris non ſcripti.*
5. 6. *Variæ propcnuntur æquitatis acceptiones.*
7. *Quâ occaſione æquitas ſit introductâ?*
8. *Quid ſit æquitas?*
9. *An juri communi contraria?*
10. *An ab omnibus judicibus adhibenda?*

SECTIO QUARTA

CAPUT PRIMUM.

1. DE *voce ſtatuti agitur.*
2. *Definitur ſtatutum.*
3. *Diſtinguitur à lege proprie dicta.*
4. *Diſtinguitur à conſuetudine.*
5. *Statutum & conſuetudo pari paſſu ambulant.*
6. *Conſuetudo nihilominus aliquo ſenſu potentior.*
7. *Statutum eſt juris ſcripti portio.*

SECT.

Digitized by Google

SECT. IV. CAP. II.

1. *Quot generum ſint ſtatuta?*
2. *Refutantur hic doctores.*
3. 4. *Peculiaris auctoris ſententia proponitur.*
5. *Species ſtatutorum explicantur.*
6. *Traduntur regulæ in ſtatutis perſonalibus obſervandæ.*
7. *Nullum ſtatutum ſive reale, ſive perſonale, ſeſe extendit extra territorium.*
8. *Mobilia comitantur perſonam, ubicunque ſita.*
9. *Statutum ſe extendit extra territorium, ſi utrumque ſubſit uni ſupremo Principi.*
10. *Pœna ſubdito ſtatuto imponi poterit propter geſta extra territorium.*
11. *Etiam collectæ imponuntur ſubdito ratione bonorum extra territorium.*
12. *Statutum prohibens ne frumentum exportetur etiam obligat forenſem.*
13. *Etiam ſtatutum obligat forenſem, ſi conſentiat.*
14. *Si ſit actus voluntariæ juriſdictionis exercendus.*
15. *Si ſtatuto contractus acceſſerit.*
16. *Bona ſtatuto loci communia, etiam quæ alibi ſita ubi contrarium ſtatutum, ex pacto, communicanda.*
17. *Statutum loci extra territorium, ex comitate & æquitate ſæpe ſervatur.*

SECT. IV. CAP. III.

1. *Veniæ impetratio ad teſtandum, ſpectat ſolemnia.*
2. *Statutum ne conjux conjugi donet eſt reale.*
3. *Statutum ut minor ſit major, eſt perſonale.*
4. *Non ſeſe tamen extendit extra territorium.*
5. *Non etiam minor major effectus, ad omnem juris effectum cenſebitur eſſe major.*
6. *Quando majori ſic facto currat tempus reſtitutionis in integrum?*
7. *An qui major factus, poſſit eſſe tutor?*
8. *De moribus quorundam mater vidua, quæ minorennis poteſt eſſe tutrix.*
9. *Statutum de bonorum communione inter conjuges eſt reale.*
10. *Statutum de ſucceſſionibus ab inteſtato reale eſt.*
11. *Etiam de ſucceſſionibus teſtamentariis.*
12. *Ut filius-familias faciat teſtamentum, eſt ſtatutum reale.*
13. *An in uno loco inhabilis alibi ubi jus civile obtinet, teſtari poſſit cum effectu.*
14. *Forenſis uti non poterit alterius loci ſtatuto.*
15. *Legitimatus in uno territorio non cenſetur eſſe legitimatus in alio, effectu inſpecto.*
16. *In uno loco nobilitatus, non ubique cenſetur talis.*
17. *An cui in uno loco bonis interdictum, ad adminiſtrandum ubique cenſeatur inhabilis?*

18. *An*

Digitized by Google

18. *An in uno loco notatus; alibi cenſeatur notatus?*
19. *An ſi alicui interdictum vel arte vel negotiatione, vel loco, id alibi locum habeat?*
20. *An Tabellio extra ſuum territorium recte conficiat inſtrumentum?*

SECTIO QUINTA

CAPUT PRIMUM

1. *UTrum Princeps ſtatuta condat ſuper iis, quæ jure divino ſunt introducta?*
2. *Utrum recte ſtatuta condat de negotiis mere eccleſiaſticis?*
3. *An ſtatuto fiat licitum, quod aliter in conſcientiâ eſt illicitum?*
4. *An ſtatuta recte condantur circa ea quæ ſpectant jus naturale, & gentium primævum?*
5. *An ſtatutum valeat ſuper negotiis, de quibus abunde jure civili cautum eſt?*
6. *An ſtatuta valeant, quæ condita contra jus civile?*

SECT. V. CAP. II.

1 *Num valeat ſtatutum, ne cum peregrino matrimonium contrahatur?*
2. *Ne filiæ nobilium civicæ conditionis viris nubant?*

3. *Ne quis ducat alterius ſectæ fœminum?*
4. *Ut ſponſalia pure contracta, mutuo conſenſu diſſolvantur?*
5. *An ut matre nobili patre ignobili prognatus, ſit nobilis?*
6. *An ut conjux ex mariti debito ante initum matrimonium contracto, etiam in ſolidum obligetur?*
7. *Aut ut filius, licet non ſit heres patri, teneatur ad debiti paterni ſolutionem?*
8. *An ne civis originarius alio migret?*
9. *An ut credatur libris mercatorum?*
10. *An ut appellandi facultas alicui ſit adempta?*
11. *An ut liberorum legitima diminuatur?*
12. *An ut in totum tollatur?*
13. *An ne bona per laicos in perſonas eccleſiaſticas transferantur?*
14. *An ne Pontificius ordini alicui adſcriptus, res immobiles extra familiam alienet?*
15. *An illicitum ſtatutum, quo conventicula, pro ſectæ cujuſdam exercitio, vetantur?*
16. *An ut ſectarii ab officiis vel honoribus arceantur?*
17. *An ut naufragorum bona fiſco applicentur?*
18. *An ut in cauſa homicidii nonniſi mulcta pecuniaria exigatur?*
19. *Quid judicandum de ſtatuto, quod exigit, ut ſimplex furtum capite puniatur?*
20. *An ſtatuto introduci poſſit, ut pater de deiicto filii teneatur, uſque ad legitimam?*

21. *An*

21. *An ut fidejuſſor admittatur in cauſis criminalibus?*
22. *Objectionibus reſpondetur.*

SECTIO SEXTA

CAPUT UNICUM.

1. *Conficiendorum ſtatutorum olim reſtrictior, quam moribus erat poteſtas.*
2. *Utrum condere ſtatuta ſit juriſdictionis?*
3. *Utrum Epiſcopus poſſit condere ſtatuta?*
4. *Utrum Rex, Dux, Marchio &c?*
5. *Utrum Senatus in civitate libera?*
6. *Utrum Municipia?*
7. *Utrum Academia?*
8. *Utrum familiæ ſingulares?*
9. *Utrum Doctores & Profeſſores?*
10. *Utrum collegia licita?*
11. *Objectionibus reſpondetur.*
12. *An Synodi?*
13. *An imperator poßit canones condere?*
13. *Statuta dum conduntur à municipiis, omnes oportet eße vocatos, qui ſunt de Municipio.*
15. *Et valent, licet omnes non adfuerint.*
16. *Singulorum tamen conſenſus requiritur, ſi tale quid exigat ſtatutum.*
17. *In Senatum municipii, ſi jus condendi ſtatuta collatum, non opus erit civium præſentiâ.*

18. *An requiratur Principis conſenſus, ut ſtatuta valeant?*
19. *An ſufficiat antecedens, an & conſequens requiratur?*

SECTIO SEPTIMA

CAPUT PRIMUM.

1. *NEceßaria eſt ſtatutorum interpretatio.*
2. *Quotuplex ſit interpretandi ratio?*
3. *Utrum etiam Municipiis interpretari liceat ſtatuta?*
4. *Quotuplex ſit interpretationis modus?*
5. *Quæ ſit reſtrictiva ſtatuti interpretatio?*
6. *Quæ extenſiva?*
7. *Quæ ſit ſtatuti activa interpretatio?*
8. *Quæ paſſiva?*
9. *Quæ declarativa, ſeu ſignificativa?*
10. *Quæ correctiva ſeu emendativa?*
11. *An ſi ſtatuentes dicant litteraliter accipiendum eſſe ſtatutum, id etiamnum admittat interpretationem?*

SECT. VII. CAP. II.

1. *Quænam ſpectanda, ſi de vero ſenſu ſtatuti difficultas?*
2. *Si ſenſus ſtatuti inveſtigari nequeat, ad ſtatuti conditorem erit recurrendum.*
3. *An ſi ſtatutum ſit juris communis derogatorium,*

torium, extenſivam admittat interpretationem?

4. *Si ſenſus dubius, talis adhibenda interpretatio, quæ juri communi minus adverſetur.*

5. *Et ſtatutum, quod ſimpliciter loquitur, intelligendum eſt ſecundum jus commune.*

6. *Statutum, quo victus victori in expenſas tenetur, ſic accipiendum, ſi non habuerit juſtam litigandi cauſam.*

7. *Statutum continens verba taxativa, quandoque extenſivam admittet interpretationem.*

8. *Si ſtatutum dictet in caſibus non expreſſis ad jus commune recurrendum eſſe; per jus commune ſolet intelligi Romanum.*

9. *Si quis in inſtrumento juris auxilio renunciaverit, non cenſetur juri ſtatutario renunciaſſe.*

10. 11. *Si de moribus in ſtatuto juris fiat mentio, poterit & jus intelligi provinciale.*

12. 13. *Jus ſtatutarium ſuperadveniens juri communi, quandoque hoc tollit, quandoque non.*

14. *Statutum de moribus deſiderans Tabellionem cum duobus teſtibus, ad teſtamenti factionem, non excludit ſolemnia juris civilis.*

15. *Succurritur objectionibus.*

16. *Num extendatur ſtatutum de caſu vero ad caſum fictum?*

17. *Affirmativa ſententia explicatur.*

18. *Statutum,*

18. *Statutum, quod extantibus maſculis excludantur fœminæ, non admittit maſculos adoptivos.*

19. 20. 21. 22. 23. *Statuta ſi invicem contraria, qui conciliandа, vel explicanda ſint?*

24. *An in ſtatutis tempus compoſitionis, an confirmationis ſpectandum?*

25. *Rejiciuntur variæ dd. limitationes circa ſtatuta poſteriora, correctoria priorum.*

26. *Si ſtatutum expreſſam ſui derogationem exigat, poſteriori ſtatuto debebit eſſe inſerta clauſula prioris revocatoria.*

SECT. VII. CAP. III.

1. *Qualem ſtatutum admittat interpretationem, quod vel alterutrum oculum eruendum eſſe, vel alterutram manum amputandam, ſtatuit.*

2. *Quale membrum ſit amputandum, ſi ſimpliciter de membri amputatione ſtatutum loquatur?*

3. *Si manum amputandam ſtatutum dictet, qualis amputanda veniat.*

4. *Si pœnam imponat percutienti, an ſeſe extendat ad impellentem, ut quis percutiatur.*

5. *Si vetet exportari frumentum &c. an referatur ad illud, quod quis proprii uſus gratiâ, exportavit?*

6. *Statutum prohibens rem ſuam vendere, non extenditur ad caſum, quo quis eam*

rem

rem vendidit, ad quam perſonalem habebat actionem.

7. *An ſi rei per ſtatutum legari prohibitæ, debeatur æſtimatio?*

8. *Statutum exigens probationes per ſcripturam, num excludat alias ſpecies probationum?*

9. *Statutum quod in numero plurali loquitur, etiam ad numerum ſingularem extendendum.*

10. *An quod Statutum de filiis loquitur, etiam comprehendat nepotes?*

11. *Unde Statutum jubens, ut in ſolidum ſuccedant filii, nepotes excludit.*

12. *Si tamen deficiant filii, admitti poterunt nepotes.*

13. *Non tamen ordinariè filiorum appellatione filiæ continebuntur.*

14. *An ſi ſtatutum vocet agnatum ad hæreditatem, excludatur frater uterinus, reliquique cognati?*

15. *Statutum de lucro dotis, qualiter explicandum?*

16. *An ſtatutum quod Advocatos quod actiones perſonales Curiæ Provinciali ſubjicit; etiam quoad crimina eoſdem ſubjiciat eidem foro?*

SECTIO OCTAVA

CAPUT PRIMUM.

1. *QUæ ſtatutorum requiſita, ut ullarum ſint virium?*
2. *Utrum ſtatuta ſtatim obligent atque ſunt publicata?*
3. *Utrum ſtatuta, referenda ſint ad futura tantum negotia; an etiam ad præterita? cum variis limitt. & ſublimit.*
4. *An quod eſt contra ſtatuta geſtum, ſit ipſo jure nullum?*

SECT. VIII. CAP. II.

1. *Utrum ſtatuta laicorum, uti loquuntur, perſonas ligent eccleſiaſticas?*
2. *Utrum cives Academici, territorii ſtatutis ligentur?*
3. *Utrum ratione ſuorum bonorum immobilium?*
4. *Quid de Principe ſtatuendum, & ejus familitio?*
5. *Quid de Nobilibus?*
6. *Quid de ſubdditis extra territorium quid committentibus?*
7. *Quis effectus ſtatuti ne cives invicem extra territorium conveniant?*
8. *Quid ſi animal extra terrritorium portaverit civis, quo ibidem pareret, an nihilominus,*

nus, id perſolvere tenetur, pro nato animali, ad quod in territorio, ſi pareret, erat obligatus?

9. *An statutum liget ſubditos, ne extra territorium frequentent cauponas &c.?*

SECTIO NONA

CAPUT PRIMUM.

1. *QUis ordo ſervandus in effectibus statutorum comparatis?*
2. *Si contentio de re, aut in rem actione, aut de actione perſonali, ſed in rem ſcriptâ, quale ſpectandum ſtatutum?*
3. *Quale in ſucceſſione ab inteſtato?*
4. *Quale in ſucceſſione teſtamentariâ?*
5. *Quale ſi bona ſint feudalia?*
6. *Feudum per omnia patrimonialibus non comparatur.*
7. *Quale, ſi de miſſione in poſſeſſionem feudi?*
8. *Quale ſi de bonis mobilibus, controverſia?*
9. *Quid ſtatuendum, caſu quo duobus in locis quis habet domicilium?*
10. *Caſus deciditur, quo jure Aeſdonico & Scabinico, in mobilia ſucceditur, ratione ſtatuti loci, ubi quis moritur.*
11. *Quale ſtatutum ſpectandum ſi de nominibus & actionibus contentio?*
12. *Traditur caſus exceptus.*
13. *Quale ſpectandum ſtatutum, ſi de annuis reditibus contentio.*

14. Qua-

14. *Quanam mobilium aut immobilium veniant nomine?*

SECT. IX. CAP. II.

1. *Quid ſi quis teſtetur in loco domicilii, adhibitis ſolemnibus loci, ubi res ſita?*
2. *Quid ſi quis teſtetur ſecundum ſui loci ſolemnia?*
3. *Quid ſi forenſis ſecundum loci ſtatutum teſtamentum condat, ubi tantum hoſpitatur?*
4. *Quid ſi in fraudem Statuti, alibi teſtamentum condat?*
5. *Quid ſi forenſis cum virgine matrimonium ineat, an contrahere cenſebitur, ſecundum ſtatutum patriæ virginis?*
6. *Quid ſi de lucro dotis contentio, cujus loci ſpectandum erit ſtatutum?*
7. *Quid ſi maritus domicilium tranſtulerit, an prioris an poſterioris ſpectandum erit Statutum?*
8. *Quid ſi Statutum loquatur de hypothecâ, competenti uxori in mariti bonis?*
9. *Quid ſi de contractibus propriè dictis eorumque ſolemnibus contentio? Ubi & variæ exceptiones.*
10. *Quid ſi de contractus naturâ, deque iis, quæ eum comitantur, ſit contentio?*
11. *Quotuplex ſit locus contractus?*
12. *Quis locus ſpectandus ratione effectus, ſeu complementi contractus?*
13. *Quid ſi alternative in plura loca deſtinata ſit ſolutio?*

14. Quid

14. *Quid ſi de litteris cambii incidat quæſtio?*
15. *Quid ſi de valore nummorum contentio?*
16. *Quid ſi credita ſint* 10. *dolia vini Aurelianenſis, Amſterodami ſolvenda?*
17. *Quid ſi pupillo dandus ſit tutor?*
18. *Quid ſi curator bonis dandus?*
19. *Quid ſi rationes ſint reddendæ?*
20. *In integrum reſtitutionē petita, quale ſtatutum ſpectandum?*
21. *Quid ſi mulier adverſus dotem velit reſtitui?*

SECTIO DECIMA

CAPUT UNICUM.

1. *SI ſtatuta varient circa actionum terminos, quæ ſpectanda?*
2. *Si intentandæ actiones perſonales, quale ſtatutum ſpectandum?*
3. *Si debitor à pluribus creditoribus conveniendus, ubi concurſus judicium ſit formandus, ſi particulare.*
4. *Quid ſi judicium ſit univerſale, puta in ceſſione bonorum, beneficio inventarii. &c.?*
5. *Quid ſi creditorum unus per hypothecam ſibi proſpexerit abunde?*
6. *Cujus loci ſervanda ſolemnia circa procedendi modum?*

7. *Circa ferias variantes?*
8. *Circa cautiones?*
9 *Circa probationes?*
10. *Circa editionem inſtrumentorum?*
11. *Utrum inſtrumentum per notarium in uno loco factum, alibi vires exſerat?*
12. *Si ſententia proferenda, quæ ſolemnia ſervanda?*
13. *Si cauſæ merita examinanda, quod ſpectandum ſtatutum?*
14. *Circa executionem tum ratione cauſæ tum ſolemnium, quæ ſpectanda ſtatuta?*
15. *Si circa appellationem contentio, an ſtatutum judicis à quo, an ad quem, ſpectandum erit?*
16. *Quis judex ſpectandus ratione citationis?*

SECTIO UNDECIMA

CAPUT PRIMUM.

1. *AN qui crimen commiſit extra locum domicilii, ſecundum locum delicti, ubi deprehenditur, ſit puniendus?*
2. *Quid ſi tamen delictum non ſit commune?*
3. *An qui mandat delictum, puniendus ſecundum locum mandati, an impleti delicti?*
4. *An qui extra territorium delinquit, reverſus ad locum domicilii, pœna domicilii ſit puniendus?*
5. *Quid ſi forenſis alibi deliquerit, & alibi deprehen-*

prehendatur, quâ pœnâ ſit afficiendus?
6. *Remiſſiones de jure civili erant neceſſitatis, moribus ſunt humanitatis.*
7. *An delinquens ratione bonorum alibi ſitorum conveniri poſſit?*
8. *Quid ſi in ſuo territorio ſagittam emiſerit, in alio per eam occiderit?*

SECT. XI. CAP. II.

1. *Quale tempus ſpectandum, an delicti, an ſententiæ, dum agitur de pœnâ infligenda?*
2. *Cujus loci ſtatutum de jure Romano ſpectandum circa bonorum confiſcationem?*
3. *Cujus loci ſtatutum de moribus, quoad immobilia?*
4. *Cujus loci ſtatutum, quoad mobilia?*
5. *An quiſque fiſcus teneatur ſui territorii creditoribus?*

SECTIO DUODECIMA

CAPUT PRIMUN.

1. *JUra non facile immutanda.*
2. *Cujus ſit ſtatuta tollere?*
3. *An decurionum?*
4. *An Principis?*
5. *An ſi ſtatuta ſint jurata?*
6. *An ſtatuta extendantur ultra vitam ſtatuentium?*

7. An

Digitized by Google

7. *An ſic unquam condantur, ut nunquam tollantur?*

SECT. XII. CAP. II.

1. *Non præſumenda eſt mutatio ſtatutorum, ſed probanda?*
2. *Quid ſi ſtatuta quidem condita, verum uſ non recepta?*
3. *An Statutum obtineat, ſi decennium interlabatur?*
4. *Abolentur ſtatuta deſuetudine, vel uſu contrario.*
5. *Quod nam tempus ad deſuetudinem requiratur?*
6. *An ad contrarium uſum introducendum ſufficiat unus actus?*
7. *An ſtatuta tollantur partium renuntiatione?*
8. *An ſi civitas armis ſit ſubacta?*
9. *An Revocatis ſtatutis, reformationes cenſeantur revocatæ?*
10. *An revocatis ſtatutis, cenſeantur ante geſta reo cata?*
11. *An allegans ſtatuta abolita incidat in crimen falſi?*

FINIS.

152.1 T.30



Digitized by Google